





Holm Theolog. Muhammedan.
11
6










XXXIV
HOLM



محمد الرسول الكاذب

SIVE

THEOLOGIÆ MUHAMMEDANÆ BREVIS CONSIDERATIO.

In Qua

Præcipuè magni illius magnæ partis Orbis Terrarum Seductoris, Muhammedis, imposturæ, fraudes & absurditates ex Alkorano potissimum deteguntur, & ex verbo Dei secundùm articulos fidei refutantur,

AUCTORE

PETRO Holm/

Angermannia-Sueco.



JENÆ,

Typis & Sumtibus JOH. JACOBI BAUHOFERI,

ANNO cIↃ IↃc LXX.

SACR. REG. MAJEST. REGNIQVE SUECIÆ
SENATORI AC CANCELLARIO MAGNO,
JUDICI PROVINCIALI WEST-GOTHIÆ ET DALIÆ,
UT ET
ACADEMIÆ UPSALIENSIS CANCELLARIO,
ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO HEROI
AC DOMINO,

DN. MAGNO
GABRIELI DE LA GARDIE,
COMITI DE Leckoö/Arensburg
ET Pernau/

LIB. BAR. DE Ekholmen/ DOMINO DE
Hapsal/ Hellmet/ Magnushof/ Höyen-
torp ET Wennegarn/

DOMINO CLEMENTISSIMO.



ILLUSTRISSIME DOMINE.

SI unquam illos, qui tantos in tanto fastigio collocatos Viros accedere volunt, insolitus quidam timor, partim ex reverentia magnitudinis eorum, quos adeunt, partim ex propriæ tenuitatis conscientia, corripere solet; illorum certe ego unus sum, quàm qui maximè. Nam præter hæc omnia, invidiâ insuper suscepti argumenti, laborare videor. Duxi, sed instinctu, impulsuque Plur. Rever. & Amplis. Dn. JOHANNIS ERNESTI GERHARDI, SS. Theolog. D. & Professoris Publici in Celeberrima hac Salana Famigeratissimi, Dn. Patroni, Præceptoris & Hospitis mei ætatem

tatem debito cultu obſervantiaque ſuſpiciendi, prima lineamenta *Religionis* (uti plurimùm vocant) *Turcicæ*. Idipſum, qui malè volent, inutilem laborem eſſe clamitabunt: ſatis hoſtium in Eccleſia eſſe, ſi vel non forinſecus accerſantur: Fabulas iſtas hujus Impoſtoris non mereri ullum punctum temporis, quod aliis negotiis ſubtrahatur. Non levia ſanè hæc! Verùm, ſi horum unicè judicio ſtandum ſit, vereor, ne de aliis, etiam magnorum virorum, laboribus pariter conclamatum ſit. Gentilium enim Philoſophorum quorundam & Poëtarum Scriptis evolvendis tempus impendimus; hi turbam nobis Deorum Dearumque inferunt, quos tamen Alkoranus unà nobiscum meritò damnat. *Valentini*, *Cerinthi*, *Manetis*, cæterorumque hæreticorum jam dudum demortuorum deliria, Muhammedicis hiſce multò interdum inſaniora, anxiè ab ultima usque antiquitate inquiruntur. Majus nobis ab his, quàm ab illis, imminet periculum, ni DEUS paternè averruncet. *Judæi* calumniantur Chriſtum, dederuntque primam occaſionem omnibus ferè his, qui ejus Divinitatem aliquo modo aggreſſi ſunt: Leguntur tamen illorum libri, refelluntur fabulæ; quin etiam eorum commenta à Patribus, pro concione ad populum nonnunquam expoſita videmus, quemadmodum ex *Auguſtino*, *Chryſoſtomo*, aliisque claret. Debet, cùm cæteris hæreticis, tùm maximè *Judæis*, originem ſuam *Muhammedismus*: neſcio itaque, quid jure culpent in rivulo, quod

aliàs

aliàs laudant in fonte? Et cum totam historiam Ecclesiasticam meritis evehant laudibus, huic ejus particulæ, de Orientali scilicet Anti-Christo, tantopere sint infesti? nam & hujus superstitionis notitia conducit, ad intelligendum, quid Christus & alii Spiritu Sancto homines impulsi, de postremis temporibus pronunciant, *Ezech. XXXIIX. XXXIX. Dan. VII.* 25. *Matth. XXIV*, 24. *I. Tim. IV*, 1. *II. Tim. III.* 1. *seqq. Apoc. IX. & XX.* Taceo: si ullum aliàs extat, Alkoranus certe est scriptum, in quo luculentissimum horrendæ iræ divinæ speculum nobis proponitur, quantis videlicet palpabilibus tenebris & stupendis Satanæ ludibriis, Deus permittat justo suo judicio illos verbi auditores, qui justam cœlestis illius depositi negligunt curam. Hæc atque alia, æquis rei censoribus satisfacere fortè possunt; iniquis verò nulla. Tuo autem, ILLUSTRISSIME DOMINE, splendidissimo quòd nomini, tam viles, tamque immaturas immaturi ingenii primitias consecrem, ILLUST. T. EXCELL. humillimus & devotissimus obsecro, clementissimè condonet. Ausi sunt idem conniventiâ tuâ, plurimi ante me alii. Animârat fortè illos, suæ aut materiæ aut diligentiæ in eâdem elaboranda, meritum: me (quid enim non fatear?) neutrum. Conciliet itaque quæso, vel sola incredibilis indulgentia TUA, quam in tam Heroica mente jam dudum omnes venerantur, instituto huic meo gratiam, omni alias patrocinio destituto.

ſtituto. Faxit DEUS Ille Opt. Max. ut ILLUSTR. TUA EXCELLENTIA, commune illud Literatorum Præſidium, unà cum Illuſtriſſima DE LA GARDIANA familia, diu POTENTISSIMO & SERENISSIMO noſtro REGI, diu Eccleſiæ, diu totius regni ſaluti, imprimis autem Reipublicæ Literariæ civibus, vivat, valeat, floreat! Faxit!

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

Jenæ, d. XXIV. Junii M. DC. LXIV.

Æternum devotiſſimus, obſequentiſſimus, & humillimus

Cliens

PETRUS Holm.

CLARISSIMO VIRO,

DN. PETRO HOLMIO,

Angermanniâ-Sueco,

SS. Theol. Cultori strenuo,

Fautori, Amico ac Domestico suo

pl. dil. & hon.

JOH. ERNESTUS GERHARDUS, D.

S. P. D.

Dum omnium animi in meliorem illam spem erigun-tur, ut vel tandem victricia Suecorum signa fortissimis Germanorum Gallorumque armis adsocientur, sicque mutuis Christianorum auxiliis ignominia illa, quâ ἄσπονδος *Christiani nominis hostis Hungaricam hactenus gentem indignissimis modis fractoque fœdere affecit, debitè vindicetur: imò, ut Hannibal ille furiosissimus, qui ad ipsas propè Germaniæ, patriæ nostræ dulcissimæ portas superiori anno pervenit, heroicè propulsetur: en! primus TU inter concives TUOS es,* CL. HOLMI, *qui in aciem progrederis, primusque in Muhammedanos arma stringis. non cruenta quidem ea vel militaria; hæc enim abs TE studiisque TUIS alieniora, aliis enim TE sacris initiatum novimus: sed talia tamen, quæ & egregios TUOS in SS. Theologia progressus, & insignem Linguarum Orientalium peritiam satis produnt superque. adeòque luculenter testantur, non abs re Nobilis-*

simum

ſimum atque Excellentisſimum Dn. Chriſtianum Ravium, (*at quantus hic vir, & quàm acris judicii*) *in litteris Upſaliâ ad me perſcriptis, dignum TE judicasſe, qui in quacunque Academia celebriori Orientales profitearis litteras. Hem benè factum! Pulcrè impoſtoris illius nefandi, qui maximam Orientis, dixerim propè orbis partem miſerè decepit, fraudes detexiſti, errores ſolidè refutaſti, ut deteſtandæ hominis artes ſatis jam eruditis pateant. Niſi totus fallor, tale erit reconditæ eruditionis TUÆ ſpecimen hoc, quod januam TIBI famæ aperiet, ac nomen TUUM æternitatis tabulis inſeret. Deum Opt. Maximum ſeriis ardentisſimisque fatigo precibus, ut non ſolùm egregios conatus TUOS porrò adjuvet, eosdemque ad nominis ſui divini gloriam, Eccleſiæ item ac rei litterariæ commodum provehat, verùm etiam clementisſimè concedat, quò poſitis disſidiis omnibus, quibus proh dolor! plurimi Reges ac Principes Chriſtiani ſeducti, in propria hactenus ſævierunt viſcera, illam ſolùm præclaram ſuisque virtutibus ac gloriæ dignam æſtiment victoriam, quam de nequisſimo illo Tyranno retulerint. Nos precibus pugnabimus ac piis votis, illi armis. Reliqua Deo curæ ſunto, cujus TE ac TUA ſtudia favori commendo. E muſeo paterno d.* 24.

Junii, Anno 1664.



Procemium.



Uos post Christum, totius generis humani Redemptorem exorituros esse magnos Anti-Christos, qui insignem nomini Christiano afferrent cladem, constans & vera est Theologorum nostratiũ sententia. Vid. B. D. Balduinus Comment. in 2. ad Thess. cap. 2. p. 1208. b. B. D. Heilbrunnerus Pap. Acath. p. 391. B. D. Gesnerus in cap. 7. Danielis m. 7. B. D. Gerhardus lib. 2. Spec. Confess. Cathol. art. 3. c. 6. p. 813. aliique. De *Occidentali*, videlicet Papa Romano, cùm ab Orthodoxis calamo & ore passim tractetur, haud arbitror, ab æquis rei censoribus mihi vitio datum iri, si animum & oculos ab aliis paulisper studiis etiam ad *Occidentalem* AntiChristum, id est, Muhammedem; alterum illum maximæ mundi partis seductorem, imò, totius Reipublicæ Christianæ hostem ἄσπονδον, reflexero. Etenim non caret ea res suâ utilitate, nec magnorum virorum pariter suffragio. Megalander certè noster *B. Lutherus, tom. VIII. German. Jenens. in Præfat.* Alcorani, *à Fr. Richardo Ordinis Prædicatorum refutati p. XI. b.* de hujus studii neglectu in suæ ætatis hominibus, apertè conqueritur his verbis: Ich hätte gern den Alcoran selbst gesehen / und wundert mir / wie es zuginge / daß man den

Alcoran nicht längst hätte in die Lateinische Sprache gebracht/ So doch der Machomet nu länger deñ neun hundert Jahr regiert und so großen schaden gethan hat/ doch niemand sich drümb angenommen/ zuerfahren/ was MACHMETS GLAUBE WERE. Sind allein damit zu frieden gewest/ das Machmet ein feind Christlichen glaubens were/ aber WO/ und WJE/ von STÜCK zu STÜCK/ ist nicht laut worden/ welches doch von Nöthen ist zu wissen. In hujus quoque tanti viri sententiam pedibus (quod ajunt) ire videtur fidissimus ejus dum vixit, Achates, communisque Germaniæ. Præceptor, *Philippus Melanchthon*, *in præf. ad Comment. Rerum Turcic. Pauli Jovij*, quando ait: *de religione planeque pro aris & focis cum Turcica natione dimicandum est.* Quapropter nonnisi cum detestatione legenda est vox *Reginaldi Poli*, Romanæ Curiæ Purpurati, qui ut refert *B. D. Mylius conc. Turcic. III. haud longè à fine*, scribere non dubitavit lib. III. pro mutat. Eccles. defens. pag. 78. *Quod si contigerit*, *Carolum V. Romanum Imperatorem Urbi Constantinopoli cum exercitu victrice propinquum esse, nec vanam adesse spem, fore, si progrederetur, ut Imperatorem Turcicum non solùm ex dicta regiâ, sed tota quoque Europa propulset, se tamen revocaturum, admoniturumque Imperatorem, uti revertatur potiùs ac contra LUTHERANOS exercitu suo utatur, contra hos vires suas periclitetur, omnes è finibus suis propulset, quippe ipsis TURCIS longè deteriores.*

Sed dices: *Ad quid tantoperè illa notitia religionis Turcicæ est utilis & nobis proficua, cùm ferramento potiùs quàm atramento, ut ajunt, pilo potius quàm stilo, hasta quàm calamo, vi militum, non Syllogismorum, adversùs id generis homines opus sit:* deinde, *non facilè nobiscum in arenam disputandi gratiâ descendunt, & si qui maximè id vellent, non possent, deterriti quippe fulmine Suratæ*

XIII.

XIII. aliarumque, quæ disputare & revocare in dubium fidem suam vetant? Resp. Verum est: non carere difficultate summa præsentissimoque vitæ periculo, negotium eos converten di, illumque conatum propè videri irritum; adeò enim occœcati, adeò obstinati in suâ superstitione sunt! attamen non omnis eos convertendi nobis seponenda vel cura vel spes. Vid. Esa. 55. v. 10. Dantur etiam *exempla* eorum, qui nuncio impietati Muhammedanæ misso, Christianæ religioni nomina dederunt. Nullus quoque dubito, quòd vel bellum hoc, quod nunc non nisi maximo cũ Christianismi periculo nostris cervicibus incumbit, multos infidelium ad veram DEI salutisque cognitionem perducet. Jubet v. hoc etiam credere cùm ineffabilis DEI misericordia, *qui vult, OMNES homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, I. Tim. II. 4. tum ejus non insolens aliàs mos, verbum suum etiam per bella & calamitates populi sui propagandi. Vide exemplum *Naamanis Syri*, II. Reg. V. v. 2. *Nebucadnezaris*, Dan. II. v. 47. c. III. v. 28. *Cyri*, 2. Paralip. XXXVI. v. 23. Esa. II. v. 2. Adeò hic נצח ישראל 1. Sam. XV. v. 29. quando quàm maximè oppugnatur, tum quàm maximè civitatis suæ profert pomœria! unde ejus tum *bonitas*, tum *potentia*, non minimùm illucescit. Deinde si vel maximè Muhammedani non converterentur, illustria tamen documenta in Ecclesia suâ ad ἐπιστομίζειν τοὺς ἀντιλέγοντας, Deum nihilominus extare se velle, satis nobis suo exemplo commonstravit Matth. XXVII. 51. in crucifixione Filii sui. Quamvis enim Judæi non credant, JESUM Dei Filium esse; is tamen in morte ejus, & velum templi scindi, terram moveri, & petras findi, & sanctos è monumentis egredi apparereque in Urbe voluit; testimonia convincentia veritatem rei, licet infrugifera apud plurimos. Et, *Ecclesia DEI errores OMNIUM hostium Evangelii confutare debet*,

ut ait divinus Dei præco *Lutherus in præfat. Alcorani.* Præterea urget quoque *necessitas summa. Nemo enim crederet*, ait CL. meus Præceptor *D. Christianus Ravius*, Orient. Lingg. in celeberrima Upsaliensi Academia Professor (cujus testimonio eò libentius utor, tum quòd multa ejus in me sint merita, tum præcipuè, quòd ille multos annos in Oriente, Constantinopoli & alibi vixerit, & eorum arcana intimius perspexerit) in Panegyrica II. ad Ultrajectinos, p.m. 13. *extare autores Muhamedanos DILIGENTISSIMOS, DOCTISSIMOS, qui nostram fidem impugnare velint, & possint, uti sibi videntur; certè audeant. Ita habeo tale aliquod manuscriptum, cujus exemplar, præter meum, nullibi aliàs reperiatur in toto Oriente. Id quod Muhamedanus quidam apud suos pariter & Christianos in Oriente celeberrimus veluti RESPONSUM ad tractatum seu Symbolum Christianorum Ecclesiæ Cypriæ, Syriæ contrà sitæ insulæ, religionem Muhamedanorum refutantem, scripsit autor Muhamed F. Ali Talibi Ansarius Sofi, aut Sufes, uti Seneca idem nomen pronunciat, Damascenus.* Resultat quoque ex hoc studiorum genere *maxima utilitas.* I. πρὸς ἔλεγχον, dum (1.) propriis illorum gladiis discimus adversarios jugulare, i. e. ex ipsius Alcorani verbis; cujus rei in sequentibus aliquot dabimus specimina. Hoc verò quantum ad convictionem adversarii valeat, sufficientissimè docuit B. *D. Gerhardus in Confess. Catholica cap.* 1. (2.) dum liberamus *conscientiam* nostram, nos non tribuere adversariis quid falsi, adeoquè *non falsum testimonium dicere* adversùs proximum nostrum. Cujus rei querelæ extant passim in omnibus hæreticorum monumentis. Et modò Lutherum audivimus, non sufficere scire, daß Mahomet ein Feind Christlichen Glaubens sey / sed Wo / und Wie / von Stück zu Stück von Nöthen sey zu wissen.

II. Πρὸς διδασκαλίαν. Discimus enim hinc (1.) *DEUM.*

dum

dum (α) ejus *justitiam* veluti in speculo contemplamur *iraque* gravitatem. Arabes erant gens DEO olim peculiariter dilecta & in verbo divino dives. Unde in vaticiniis de Vocatione gentium expressè & nominatim præ cæteris illi exprimuntur, uti Esa. LX. 6. *Inundatio Camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha* כלם משבא יבוא *omnes de Saba venient, aurum & thus deferent & laudem Domino annuncient*. &c. Sic Ps. LXXII. 10. מלכי שבא וסבא אשכר יקריבו *Reges Arabum & Saba dona adducent*, ut habet Vulgatus. Et paulò post, v. 15. *vivet, & dabitur ei* מִזְּהַב שְׁבָא *de auro Saba* (i. e. Arabiæ, vid. Santes Pagninus, Joh. Lorinus, aliique) *& adorabit eum semper, toto die benedicet ei.* Unde gentium ille Doctor Paulus post sui gratiosam vocationem, primùm οὐκ ἀνῆλθεν ἐς ἱεροσόλυμα εἰ, sed ἀπῆλθεν εἰς Ἀραβίαν ad evangelizandum Filium DEI ἐν τοῖς ἔθνεσιν, Gal. I. 17. At, proh dolor! hoc honore verbique divini κειμηλίῳ ob peccata sua justè privati sunt. Conf. Matt. XXI. 43. Apoc. II. 5 2. Thess. II. 10. Videmus (β) *Dei potentiam*, qui Ecclesiam suam בקרב איביו *in medio inimicorum suorum*, Ps. CX. v. 2. etiamnum in Oriente sustentat. (γ) *summam ejusdem bonitatem*, qui nos in ista impietate non sivit nasci vel educari. Cognoscimus (2.) veluti ἐξ ὀνύχων *ipsum Diabolum*, quàm sit vafer, mendax, quàm sit multarum artium magister. Impossibile enim est, sine ejus singulari opera sectam tàm impiam, tàm absurdam, tàm sibi ipsi contrariam potuisse vel invalescere vel permanere. (3.) *humani ingenii* summam ματαιότητα, quando verbo divino relicto relinquitur suis διαλογισμοῖς. Quis crederet, homines tam emunctæ naris posse ab aliquo induci, ut crederent, calamum, e. g. extare longum 500. annorum itinera, latum 80. annorum: terræ centrum collocatum in cornu tauri, quo caput ob pondus quassante

 terræ

terræ motus fieri: terram verò ipſam in piſce quodam maximo unà cum mari ſtare: Suem è ſtercore elephantis natam in arca Nohæ, egeſtioni humanæ ſuperaddito: Suem v.originem iſtam roſtro ſuo fodientem, dum conceptum naribus fætorem efflare vellet, edidiſſe murem: Leonem verò naribus felem ejeciſſe: aliaque quæ in illo *colloquio* cum Symmyſta ſuo Abdia Judæo egregius hic noſter Propheta Muhammed memorat; ut alia taceam, quæ falſa eſſe, vel manibus palpare poſſent, ſi mens non læva fuiſſet. Quæ omnia, quantum *III. ad* ἐπανόρθωσιν *faciant*, me interprete non opus eſt: conſuli verò poteſt *B. Lutherus in præmonit. ad Chriſtianum Lectorem, Alcorano Tiguri M. D. XLIII. edito præfixa.* Hiſce itaque, aliiſque de cauſis, auguror, fore, ut argumenti potiùs minùs accuratè (quod fateor) elaborati, quam inutilis ſuſcepti operis damner.

Totam igitur hujus rei pro inſtituti ratione tractationem, in tres diſpeſcere partes placet. *Prima* erit de autoribus hujus ſectæ, tempore item, propagandi modo & conſervatione: *altera* de principalioribus quibuſdam controverſiis aget, quæ nobis cũ Muhammedanis intercedunt, in quibus veluti quædam ἀκρόπολις regni hujus Anti-Chriſtiani conſiſtit, ut de Scriptura Sacra, de Muhammede, de Alcorano, de Trinitate, de Chriſto: quibus expugnatis non habent Muhammedani, quo cæteros ſuos errores tueantur, niſi meras quaſdam principii petitiones. Itaque hanc *tertia* excipiet, continebitque nudam ferè reliquorum falſor. dogmatum recenſionem, cùm ea enumeràſſe, refutaſſe ſit, eademque in aliis hæreticis à Noſtratibus dudùm ſint profligata. Tu, JESU, FILI DEI vivi, qui ſuper hac confeſſione ædificaſti Eccleſiam tuam, velis adeſſe nobis usque ad conſummationem ſeculi: effice TU, אֵל גִּבּוֹר Eſ. 9. 5. ne portæ inferni, (quæ jam rictum veluti pandent)

dent) unquàm nobis prævaleant, neve hic aliusve tuus ἀντικείμενος nos tuas oviculas de manu tuâ rapiat. Nam tuum est REGNUM, & POTENTIA & GLORIA in Secula. Amen! O JESU! Amen!

PARS PRIMA.

CAPUT I.

De authoribus Sectæ Muhammedicæ, tempore & occasione.

QUod de *Tarquinio*, cui *Superbi* nomen facta indiderunt, quique ordine *septimus* ab Urbe, à Romulo vel condita vel restaurata, inibi scelere parto imperio regnavit, memorant annalium Romanorum conditores, *cloacam* scilicet *maximam receptaculum omnium purgamentorum urbis sub terram egisse*: id *Satanas*, Spiritus ille *Superbiæ*, & ἀνθρωποκτόνος *ab initio*, Joh. VIII. 44. astutè imitatus videtur, seculo post reparatam à CHRISTO DEI FILIO salutem, urbisque Dei in N. T. proprio sanguine sacratam ædificationem, itidem *septimo*. Nam cùm hic tyrannus, Diabolus, variis hæresium moliminibus, ut *Simonis Magi*, *Cerinthi*, *Saturnini*, *Carpocratis*, *Marcionis*, *Basilidis*, *Sabellii*, *Montani*, *Samosateni*, *Arii*, *Manetis*, *Audei*, *Nestorii*, *Photini*, *Macedonii*, *Pelagii*, &c. vidisset, se Ecclesiam DEI, ἐπὶ τῇ πέτρᾳ, i. e. Christo Filio DEI, inædificatam, non posse evertere: aliâ via aggredi eam sategit. Ratus, quod si non prosunt singula, multa tamen juvent in unum collata. Prædictas itaque, aliasque horrendas hæreses in unam stygiam paludem

ludem, *Muhammedismum* scil., derivavit: quâ veluti Camarina quadam mota, civitati DEI densissimas nubes, pestilenti anhelitu infectas, antiquus ille Draco Apoc. XII. 13. ex propinquo posset offundere.

§. 2. Nactus hic verò est *μυθοτεχνίτης* ad hanc fabulam peragendam ministrum oppidò improbum, *Muhammedem, Abdallæ filium*, *nepotem* Abdalmutalebi natione Arabem; nomini suo, quod *clarum*, *celebrem* & *insignem* apud eosdem (puta à radice حمد *laudavit*, *celebravit*, à quâ etiam est nomen الحمد *laus*, *gloria*) denotat, nulla alia re quàm mendaciis, dolis & flagitiis respondentem. Hic natus est eo quem diximus, patre *Abdalla*, avo verò Abdalmutalebo &c. matre verò Emina, filia Vehebi, circa auroram, (ut habet *Elmacin. lib.* 1. *hist. Saracen.*) diei lunæ, qui octavus erat, Rabii prioris: cui respondet è mensibus Romanorum dies XXII. mensis Nisan, anni octingentesimi octogesimi secundi Alexandri (ذو القرنين) *duorum cornuum*, id est, Magni; qui ita dicitur, vel quia Jovis filius credi voluit, qui ab antiquis *cornutus* pingebatur, *teste Scaligero de emendatione temporum*, vel à *fortitudine*, quæ apud Orientales nomine קרן sæpissimè venit, vel etiam fortè â *radiis & splendore*, ut de Mose narratur, Exod. XXXIV. v. 30. קרן עור פניו unde & imperiti pictores nacti sunt ansam, etiam Mosen cornutum in templis quibusdam fingendi. id quod Judæis stomachum & risum movet, Christianos legislatorem repræsentare cornibus conspicuum. Incidit itaque nativitas hujus monstri, juxta fidem Elmacini, in annum Æræ Christianæ DLXXI. Alii aliud sentiunt: Nos eam litem nostram non facimus, nec tanti etiam est, in hoc mustaceo laureolam quærere. Optandum potiùs, doctrinam pariter ejus impiam, ut natalem certum, Cimmeriis damna-

mna-

damnatam fuisse tenebris, nec unquàm orbi tàm perniciosè innotuisse.

§. 3. Quod verò nugantur Muhammedani, matrem ejus sine dolore peperisse, tum id credam, quando de Alcumena idem probaverit Plautus. Similiterque, quòd idola horâ nativitatis ejus corruerint; nisi fortè adventum ejus Diaboli sint gratulati, adeoque præ gaudio שאול רגזה לקראת בואו *infernus commoverit se ad occurendum advenienti ei*, ut de *Nebucadnezare* habetur Es. XIV, 9. Ejusdem quoque farinæ sunt alia miracula, quæ circa hunc Pseudo-prophetam vel natum vel educatum facta Muhammedani fabulantur: quorum lectione qui delectatur, videre ea potest apud autorem *de generatione Mahometis*, it. *CL. Hottingerum hist. Orient. l. I. c. VI. Hornbeckium in summa controvers. p. m.* 77. aliosque rerum Turcicarum Scriptores.

§. 4. Hisce idololatris parentibus natus Muhammedes in idololatria Koreischitarũ, (de quâ vid. *Hotting. Lib. I. hist. Orient. c. VIII.*) unde sanguinem ducebat, educatus, idololatra & ipse mansit, donec peculiarem sibi sectam constitueret. Cùm autem à teneris, ut ajunt, ungviculis immensâ raperetur imperii cupiditate, *partimque* res angusta domi (neque enim dives erat, quamvis illustri loco natus, è gente quippe, ut dictum modò, Koreischitarum; quorum ea tempestate & inclitum nomen, & in civitatem Meccam imperium) *partim* & contribulum suorum diversum studium obstitisset, quò minus per vim posset emergere, animum ad ementitas divinas revelationes adjecit, ut tandem vel sub religionis specie rerum summâ potiretur. Adeò hic & unus ex iis Prophetis nobis obviatur, de quibus per Jeremiam loquitur DEUS, cap. XIV, 15. הנביאים בשמי ואני לא שלחתים *prophetantes in nomine meo, ego verò non misi eos.*

§. 5. Utrique ergò sibi obstanti rei tempestivus occurrit. Et quidem, cùm ipsemet opibus non valeret, uti modo diximus, quemadmodum & ipsius tàm patruus, quam eductor Abutalebus ipse fatetur apud Abunezarem dicens:

ليس لنا يسار بان نزوجه ولا
نعلم كيف المعالجة في امنة

i. e. *non suppetunt nobis* (nativitatem enim ejus patris quidem mors duobus mensibus antecessit, matris vero sex annis post insecuta est; parentum, ut credibile est, haud magnâ in re) *opes, ut possimus ei de conjugio prospicere, nec scimus, qua ratione ejus rebus possimus consulere*: in notitiam fœminæ cujusdam primariæ, *Chadighæ* nomine vel captivitate vel suâ sponte (variant enim hic authores) pervenit, & deinceps quoque thorum. Cujus re familiari ad eam rem, quam intendebat, adjutus, simulatione colloquiorum cum DEO, *Scipionis*, *Numæ Pompilii*, *Sertorii*, aliorumque vestigia legens, gradum sibi ad imperium munire occipit.

§. 6. Nec verò hoc ei obtentu difficile erat, adeò enim omnes res & sacræ & profanæ amicè ad hanc rem conspirabant, ut nihil deesset, quàm idoneus autor, qui rem auspicaretur. Ecclesiam enim DEI *foris* variis cùm opprimi videret hæresibus & sectis; puta, gentilium, Judæorum, Arianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, (eorumque innumera sobole, Monophysitis, Monotheletis, Agnoëtis, Acephalis, Angelitis, Jacobitis, Severitanis, Armeniis, &c.) *μαριαμλατρευόντων* item seu Collyridianorum, Pelagianorum, aliorumque; *intus* verò variis Episcoporum dissidiis scindi, contentionibus de primatu seu *προεδρεία*, ut ex *Gregorio Magno* Romanorum, & *Johanne* Constantinopolitanorum, Episcopis patet, avaritia item & obtrectationibus, de lana caprina nonnunquàm disputationibus, rerum sacrarum

præ-

præ ſecularibus neglectu, hincque ſupina in articulis fidei ignorantia: *Rem* autem *publicam* ab Imperatoribus ipſis negligi, committi verò adminiſtrandam imprudentibus, ſceleſtis ventris & marſupii mancipiis, defraudari milites ſtipendio; quod non minimū hanc impiam Muhammedis ſectam promovit, uti teſtantur ferè omnes illorum temporum ſcriptores; ſubditos expilari opibus, opprimi à potentibus, adeòque omnium animos eſſe abalienatos: hanc, inquam, occaſionem homo ſubdolus & perſpicax veluti è ſpecula quadam aucupatus, ſuis ipſe rebus deeſſe noluit.

§. 7. Adeſt itaque! quod de publico ſtatu omnes queruntur, conqueritur & ipſe: offert afflictis rebus opem, ſi modò eâ uti velint. Debacchatur deinde in palpabilem popularium ſuorū idololatriam & impietatem, quòd ſimulacra, quòd angelos, quòd plures Deos quàm unum colerent, quòd liberos ſuos mactarent, &c. Videbant autem Chriſtiani, eum in his non mentiri. Triumphatus itaque de illis, etiam hos aggreditur: *cum unus Deus ſit colendus, non tres eſſe*, ajebat, adeoque Trinitatem vafrè oppugnabat, & ſic in aliis. Quid faceret rudis plebecula, non ſufficienter in fide vel ob ſuam vel præſulum ſuorum ignaviam informata? victas dat manus, cùm alter argumentis vel argutiis vinceret. Tandem, cùm & ipſa ob tot diſſidia in religione fluctuaret, & hic nonnihil veri contra craſſos idolorum cultores viſus eſſet dicere, neſcia cujus eſſet, fit occupantis. Adeo nempe contemptus & neglectus verbi divini homines trahit in perniciem! Semel verò in naſſam illectis, non difficile erat, quidvis perſuadere: potiſſimum poſtquàm adeò hic ψευδοδιδάσκαλος creviſſet, ut jam non amplius arbitrarium eſſet, fidē ejus fabulis denegare, quin factum ulciſceretur armis.

§. 8. Ne verò & ipse suis pennis percelleretur, h. e. iisdem artibus ex animis suorum expelleretur, quibus eosdem invaserat, librum quendam conscribit, quem cœlitus sibi datum asserit, & nonnisi sub pœna infernalium suppliciorum rejiciendum obtrudit; regulam scilicet certam fidei & normam omnium in vita honestarum actionum. Huic à *lectione* vel *collectione* (قرا enim utrumque denotat) Alcorano nomen fuit; sicut Christianorum *Scriptura sacra* (מכתב) à *scribendo* nomen sortitur. In quo, qui *omni stato tempore legeret, nisi cùm immundus esset*, is لن يدخل الجنة وحشره الله تعالى مع العلما والانبيا يوم القيامة *hortum* (paradisi) *ingrederetur, eumque excitaret Deus excelsus, cum Sapientibus & Prophetis die resurrectionis*, i. e. ultimo, ut inter XL. Mahometis ἀποφθέγματα, hominibus ab eo velut ad salutem obtinendam necessaria præscripta, refert *Muhammed Ben Abibecer*.

§. 9. Nec deerant, qui homini vesano in hoc suo Prophetico munere junctis operis frigidam suffunderent, adjurarentque in malè feriato scripto corradendo, partim ex ψευδο Christianis, partim & ex ipsis Judæis. In *horum* numero fuisse *Phinea* quendam, & *Abdian Ben Salon* perhibent; *hunc* & *colloquio* illo seu potiùs mendaciorum plaustro inter ipsum & Muhammedem satis notum. In *illis* verò eminuit *Sergius* monachus Constantinopolitanus, domo ob hæresin vel Monotheletarum, vel Arianorum, vel Nestorianorum, (discrepant enim & hic autores) in Arabiam profugus. Alii verò volunt hunc *Sergium* non quidem Christianum fuisse ipsum; sed Christiani saltem cujusdam mercatoris Meccensis servum. Utut sit, dici non potest, quantum hujus adjutu res Muhammedana cæperit Spiritû ducere. & novit hic Mercurius suo Jovi egregiè supparasitari.

§. 10.

§. 10. Muhammedes enim cum comitiali morbo laboraret, & uxorem id malè haberet, se nupsisse homini, corporis non minùs quàm fortunæ bonis destituto, moliuntur hi boni viri inter se fallaciam, dicuntque, *Gabrielem Angelum id temporis puncto solere Prophetæ adparere, cujus augustam præsentiam & majestatem homo mortalis non sine horrore totius corporis, animique deliquio posset intueri.* Muhammede itaque spumante & se in morbo volutante attonitæ mulieri adstat hic sociennus, *Sergius*, ipsamque in fide confirmat. Credidit v. conjunx, vel quia ita persuasa esset, vel quia, quod libenter volumus, id facilè credimus: Enthusiasten certè tangi vetuit, remque aliis mulierculis divulgat.

§. 11. Ne verò sui novitate, nova hæc Biblia (Alcoranum dico) se proderent, & sectariorum animos offenderent, utque omnes eò faciliùs impostor ille lucraretur, ex omnibus eâ tempestate florentibus sectis in hoc malè concinnato centone quædam admiscet. In *Judæorum* gratiam retinet circumcisionem, prohibet porcinam, interdicit quibusdam cibis, adhibet lotiones corporis. &c. Ne *Christianos* abalienaret, de Christo honorificè loquitur, cum Surat. XI. رسول الله *Dei nuncium* vocat, *DEI spiritum*, item *cœlitus demissum*. ibid. *sine viri opera natum*. Sur. V. *Divina virtute venientem, librum legiferum, omnisque magisterii peritiam, & testamentum & Evangelium, mandatumque filios Israelis edocentem*. ibid. & quæ sunt id genus alia, passim in illa lege repetita. Et sic cum *aliis* quoque sectis collusisse eum, in ipso progressu ostendemus. Nunc verò ad media, quibus hæc superstitio sarta tecta hactenus mansit manetque, properabimus.

CAP. II.

De modo, quo propagata est â Muhammede ejus religio, propagaturque, & conservatur etiamnum.

§. I.

MIrari, idque haud immeritò quis posset, quî evenerit, quod hoc tàm absurdum (ut infra patebit) dogma, tàm impia religio in orbe fidem meruerit, vel quòd non simul ac nata est, aut certè cum ipso autore evanuerit; maximè cùm & Divus Paulus μυςήειον vocet ὁμολογȣμθμως μέγα, *quòd CHRISTUS creditus sit in mundo*, 1. *Tim. III*, 16. & pro veritate religionis nostræ inter alia etiam hoc argumento utamur, quòd Apostoli homines simplices & illiterati rem rationi planè absonam & voluntati humanæ adversam, tot obnoxiam periculis, delationibus, calumniis, tot tantisque nationibus & in his hominum etiam sapientissimis potuerint persuadere. Vid. *Morn. de verit. Relig. p. m.* 561. *& p.* 519. *seqq. Grot. itid. de re eadem. p. m.* 123. *seqq.*

§. 2. Quod telum si è manibus nostris nobis torserint Muhammedani, & idem de sua quoque religione adstruxerint, prout faciunt apud *autorem quendam Septem-Castrensem*, *cap. IX.* & passim apud alios alibi, turpiter causam nostram adversariis prodimus, & hujus argumenti vis planè evanescit. Etsi verò nonnullas veteratoris hujus, Muhammedis, artes in obtrudendo hominibus impio hoc dogmate in superiore capite tetigimus, juvat tamen & ad scrupulum hunc ex animis nostris eximendum, bolumq; è faucibus adversariorum eripiendum, adhuc penitius introspicere, quæ sint causæ, quæ rationes, quæ media & crediti hujus mysterii iniquitatis, & tàm diu tamque latè per orbem florentis.

§. Vel

§. 3. Verè Apostolus, *II. Thess. II*, 9. in sede hujus doctrinæ de Anti-Christo, ait: οὗ ἐστιν παρουσία κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ, ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους, καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις, *ejus adventus est ex illa vi* (ut vertit Beza) *efficaci Satanæ, cum omni potentia, & signis & prodigiis mendacibus, & cum omni seductione injustitiæ in iis, qui pereunt.* Sequamur itaque S. Apostoli ductum & videamus de singulis.

§. 4. Primò itaque nullum dubium est, quin *Satanas* singularem hic navaverit operam, adeoque Muhammedis παρουσία sit κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ. Est enim ille πνεῦμα ἐνεργοῦν ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, *potenter operans in filiis incredulitatis*, Eph. II, 2. & nonnunquàm μετασχηματιζόμενος ἑαυτὸν εἰς ἄγγελον φωτός, *transfigurans se in angelum lucis*, II. Cor. XI, 14. & σπείρων ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, *Zizaniam in medio tritici seminans*, Matth. XIII, 25. conf. I. Tim. IV, 2. II. Cor. IV, 4. Sanè Muhammedes à quibusdam ob *magiam* malè audiebat, ut ipse fatetur Surat. LXX. his verbis: *Post Mosen venit Christus, filius Mariæ, dicens: filii Israel, ego ad vos missus DEI nuncius, affirmo per testamentum meum, quod in manibus habeo,* (non cohærent hæc Muhammed! nondum enim, Christo sc. in Judæa prædicante, Novi Test. libri conscripti erant, qui ergò potuit illos in manu habere?) *quòd post me venturus sit nuncius, cui nomen Muhammed, quem dicent* (sc. hostes ejus) *magum esse.* Et Chadigam heram in sui amorem incantamento eundem allexisse, fide graves produnt authores.

§. 5. Pergit noster Apostolus: ἐν πάσῃ δυνάμει. Videamus itaque, numne & Muhammedes contra DEI morem vim hic adhibuerit. DEUS certè vim externam in vocatione ad Ecclesiam suam non adhibet. Totam quidem diem נטה ידו *extendit manum suam*, sed אין מקשיב *ne-*

attendit. *Proverb. I. 24.* καλεῖ *invitat,* non cogit, τοὺς κεκλημένους. Matth. XXII, 3. Similiter & Apostoli, οἱ ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύοντες *Christi*, Filii ejus, *nomine legationem obeuntes,* δέονται ὑπὲρ Χριστοῦ, *ejusdem nomine ORANT;* καταλλάγητε τῷ θεῷ *conciliamini DEO*, II. Cor. V, 20. *adhortantur,* sed ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ καὶ διδαχῇ, *in omni LENITATE & doctrina*, *II. Tim. IV*, 2. τῆς πίστεως οὐ κυριεύουσιν, *fidei non DOMINANTUR*, *II. Corinth. I,24.* ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως, μὴ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων. *I. Pet. V*, 2. 3. Hic v. Propheta ostendit vel hac ipsa re, a quo missus sit.

§. 6. Vocavit enim, vocantque etiamnum ejus sectatores, suos auditores I. *Bello, captivitate, mulctis, carceribus,* &c. Quamvis enim Surata XIV. XVII. XX. alienus ab hac crudelitate appareat, dicens: *contradicentibus dicito, ut sibi sua sint negotia, tibi tua, ipsique à tuis factis, & tu à suis factis liber:* item, *qui Christianum opprimit, adversarium eum habebit in die Judicii:* Unde & insignis ejus adversus Christianos benignitas, apud *Elmacin hist. Sarac. lib. I.* Alibi tamen & quasi sui oblitus aliud statuit, ut Surat. *XIX. converti nolentes, ubicunque repertos, mensibus Haran peractis, sumite & interficite, omnibus viis insidiantes illis.* Conf. Surat. XVIII. Surat. X. & passim alibi. Cujus etiam crudelitatis exemplum in ipso avunculo suo statuere voluit, nisi paruisset. vid. *cap. X. Confut. Legis Saracenicæ Fr. Richardi.*

§. 7. II. *Precio*, qui sibi quosdam mercatus est, quos *Mammelucos* vocant, à بالمال *acquisivit.* De ea re *Septem-Castrensis c. VI. In omnibus*, ait, *civitatibus, sicut ad cætera mercimonia, sic etiam ad homines emendos & vendendos habetur forum proprium, & loca ad hoc legitimè deputata. Ad hunc locum & forum,*

forum, pauperes captivi & funibus ligati, quasi oves ad occisionem ducuntur. Et capite antecedente: *Nullo modo occidere volunt homines, nisi extrema necessitate compellantur, scilicet, quando se defendunt aut fugiunt: sed omninò conantur, ut vivos capiant. Sic de uno homine duplex rapina perficitur. Turcus enim intendit pro corpore* (forsitan, *per corpora*) *suæ cupiditati satisfacere: Diabolus autem fidem auferendo, animam secum in gehennam miserabiliter perducere.*

§. 8. III. *Paupertate*, de qua idem Septem-Castrensis cap. IIX. hunc in modum: *Ad plagam aquilonis quatuor vel quinque magna regna sunt sita, quorum terras licet Turcus ipsis devictis longo ante tempore possederit, tamen eas propter amplitudinem & latitudinem nequaquam cum Turcis adhuc implere potuit. Quorum hæc sunt nomina: Bosna, Arnant, Laz, Slavonia, Albonia. Unde usque hodie gentes illæ terram suam sub dominio ipsius Turci inhabitant, sed propter tributa annualia & onera gravia & multas incommoditates, quas patiuntur, ita depauperati sunt, quod se vix nutrire possunt. Unde fit, ut egestate compulsi, annuatim tempore laboris veniant, & per civitates Turcorum dispergantur, ut inopiæ suæ, more mercenariorum, aliquatenus valeant cum sudore laboris sublevamen invenire.* Et paulo ante: *hi tanquam arida ligna huic insatiabili incendio, sine contradictione seipsos exponere non desistunt.*

§. 9. IV. *Tributo* idque (1) à *subditis*, per *decimas*. Audiamus rursus eundem Septem-Castrens. c. eod. *Præterea Turcus magnus ex omni præda & rapina captivorum decimas suas habet, & cum senserit copiam esse illorum, præcipit ut omnes juvenes à XX. annis & infra, pro parte decimæ, quæ ad eum spectat, sibi offerantur.* (2.) à *Vasallis*, ut ita dicam. Pergit idem Castrensis: *per omnem terram sui dominii adhuc multi sunt de Græcis antiquis & aliis nationibus, qui castella & oppida plu-*

rima inhabitant, & ab omnibus statutis & oneribus aliorum dominorum liberi & exempti, ipsius regis servitiis intendunt, & ad ejus curiam pertinent. Horum filios à XX. annis & infrà ætatis, missis nunciis de quinquennio ad quinqunenium sibi adducere præcipit, & jubet, ut distributi per curias magnatium suorum, in MORIBUS & RITIBUS & in armis erudiantur & exerceantur &c. tales eorum lingua Gingitscheri (puto Janizari) *vocantur.*

§. 10. V. *Iniqua detentione Imprudentium liberorum Christianorum*, qui refractarii & immorigeri, detrectantes parentum suorum jussa ad Turcas in suam præsentissimam perniciem confugiunt. De his loquitur *Lud. Vives de conditione vitæ Christian. sub Turca h. m.: Non audent Græci filios suos objurgare, reprehendere, castigare flagitia, formare ad virtutem & studium honesti, virga & flagris dum res poscit ad monere disciplinæ, ne illi irritati, ad Turcas se conferant. Et hoc filii audent parentibus minari: à quibus Turcis si quis sit semel receptus, nullà vi, nulla ope, nulla arte potest unde venerat redire.* Quo quid iniquius? quid injustius?

§. 11. Vaticinatur Apostolus Anti-Christum venturum esse *ἐν σημείοις καὶ τέρασι signis & prodigiis:* verùm benè addit, *ψεύδους falsitatis*, i. e. falsis, modo loquendi Hebræis usitato. Quamvis verò Muhammedes de se ex miraculis judicium fieri nolit, ut e. gr. Surat XV. *Petentibus, ut eis virtutes miraculaque DEI facias, dic, DEUM omnipotentem illa facere:* sibique eam vim miracula faciendi ideo denegatam affirmet, quia homines prioribus miraculis à Christo & sanctis DEI hominibus editis fidem non habuerint, Surat XVI. his verbis*: sed scio, nil nisi Angelorum, seu DEI adventum, & miraculorum effectum expectatis? Sed vobis nil fides proficiet, quando venerint, quia PRIUS*

non

non credidistis : Asseclæ tamen ejus de miraculis à Pseudo-Propheta perpetratis, immane quàm nonnunquam gloriantur! Videamus itaque, quænam illa sint, & quid de iis sit sentiendum.

§. 12. Enumerantur illa varia: attamen *decem* comprimis *miracula* ei adscribuntur, quæ D. Hornbeckius in Summâ Controv. p. 125 seq. hoc recenset ordine. I. Quòd sine dolore prodierit ex alvo matris, circumcisus & hilaris. Vid. cap. I. §. 3. supra. II. Quòd idola ipso in auras edito, passim prostrata sint, uti & superius meminimus. III. Quod Lucifer arreptus ab Angelis, tunc immersus sit in profundum mare. Nugæ! nisi forsan tum impletum est, quod habetur Apoc. XII. 12. *væ incolis terræ & maris, nam* κατέβη *descendit Diabolus ad eos, excandescentiæ magnæ plenus, ut qui sciat se exiguum tempus habere.* IV. Quòd venti, aves & nubes de ejus educatione decertarint. V. Quòd Asina voce humanâ eum vocarit خاتم النبية (.) *sigillum Prophetiæ.* Dignum sanè Prophetâ tubicinem! VI. Quòd nubes atra semper, etiam cœlo sereno, ejus capiti incubuerit. At! *is color apud eos* (Turcas) *vilis infaustusque habetur*, teste *Busbequio in It in. Constantinop.* Etenim *apparere Constantinopoli aliquem in veste nigra, fœdi scævique ominis est*, uti mox Busbequius; *adeò ut aliquando Bassæ nos cum veste nigra ad se accedere & mirarentur & seriò conquererentur. nec quisquam ibi cum nigro vestitu in publicum nisi ÆRUMNOSUS prodit; quemque vel insignis paupertas, vel gravis alioqui CALAMITAS premat.* Hæc ille. Cur ergo Prophetam hunc in atra nube venientem, velut fœdi scævique ominis, non abominati sunt? Christum sanè, ut & sanctos, νεφέλη φωτεινὴ ἐπεσκίασε, *nubes lucida obumbravit*, Matth. XVII. 6. VII. Quòd Lunam bipertitò divisam conjunxerit & compegerit. Risum teneatis a-

mici! IIX. Quòd Angelus (malus forsan!) ei sit locutus. IX. Quod arbor fici ab eo evocata, ei humiliter se inclinarit. X. Quod bos & agnus ei, quasi maximo DEI nuncio, locuti sint.

§. 13. Sed cæcus sit oportet, qui non videt quantum distent æra lupinis, Christique miracula ab hisce mendaciis? idque (1.) *ratione circumstantiarum*, ut *temporis*, *loci*, *testium*, &c. Christus fecit miracula manifestè ἐν ταῖς συναγωγαῖς, in Synagogis, Matth. IV, 23. quando sequebantur ipsum ὄχλοι πολλοὶ, multi homines. Matt. VIII, 1. in præsentia τετρακισχιλίων ἀνδρῶν, *quater millium virorum*, præter *mulieres & parvulos*, cap. XV. 38. &c. Sic & Moses in præsentia *Pharaonis & Magorum*; qui ipsi fateri coacti sunt, illud אצבע אלהים *digitum DEI* esse, Exod. VIII, 19. & sic de aliis passim. At miracula edidisse Muhammedem quis vidit? quis testatur? quis credit? Dicit se in cœlos ascendisse per animal quoddam Elmaparac, sed *noctu*? cur non clara luce? Sanè & absurditate sua facile se hæc fabula evertit. Unde à Muhammede, hanc visionem enarrante, multa defecerunt hominum millia, qui dicebant illi: *ascende hodiè in cœlum NOBIS VIDENTIBUS, ut Angelos occurrentes tibi VIDEAMUS: nonne tuum ipsius agnoscis mendacium?* Sed quid ad hoc, hic θαυματουργός? *Laus meo DEO*, inquit. *Num ego alius quisquam sum, quàm unus hominum vel Apostolus? Majores vestri miraculis non crediderunt, nec vos iisdem creditis: nec credetis unquàm, nisi per GLADIUM.* Hinc illæ lacrymæ! Vid. *Joh. Cantacuz. Regis Constantin. Orat. IV. in Muhammedem. p. m.* 118. 119. &c. Christus verò in multorum *testium* præsentia sublatus in cœlum est, *Act. I.* 8. 11. & cùm Spiritum Sanctum demitteret super Apostolos, συνῆλθε τὸ πλῆθος ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, *confluxit multitudo*

ex

ex omni populo, qui sub cœlo sunt, *Act. II.* 5. 6. & ἐξίσταντο πάντες καὶ ἐθαύμαζον *obstupescebant* (non mendacii arguebant, sicuti *apud Cantacuz.* Mahometis auditores) idque *OMNES* & *mirabantur* v. 7. & *baptizati sunt tria millia.* v. 41.

§. 14. (2.) *Ratione Objecti & Formæ.* Christus in *magnis* rebus exercuit vim suam, e. g. in *mari sedando*, Matth. VIII, 26. In *mortuis excitandis*, Matth. IX, 25. &c. in *diabolis expellendis*, Matth. IX, 33. &c. *Aquam in vinum mutando*, Joh. II, 9. Quæ omnia humanas vires longè exuperant, & majestatis plena sunt. Sed ubi tale quid in Muhammede? quis enim splendor, arbores e. g. fuisse eradicatas & rursus consolidatas? bestias de ejus educatione certâsse? arbores ab eo evocatas, in campo alvum exoneranti umbram præbuisse? aliaque quæ passim ab ejus admiratoribus nugivendulis exponuntur, & hîc referre pudet.

§. 15. (3.) *Ratione finis & fructus.* Christus & Sancti DEI homines nihil aliud intenderunt per sua miracula, quàm ut procurarent miseris nobis mortalibus salutem tàm *temporalem*, Vid. Matt. IV, 24. c. VIII, 3. 13. 15. 16. c. IX, 7. XV, 37. Act. III, 7. &c. quàm *æternam*. Matth. IX, 8. Joh. XI, 45. Marc. XVI, 20. Act. IX, 42. At in hujus Anti-Christi miraculis quæ utilitas? cui enim bono est, quòd lunam mortui vicinam, prodigium ostensurus, jusserit in duas partes findi, adeò ut frustum in montem Helicain, Meccæ ab uno latere imminentem, alterum verò in Erythron, montem itidem, sed ab alia parte, eidem urbi propinquum inciderit; & sic dissectam inque tunicam suam collectam integram eandem restituerit? ut habet *Cantacuz. Orat. II.* Sic ad quid profuit, quòd ficus se ante ipsum incurvaret? ita & de aliis: quibus recensendis, non est, quòd tempus & operam

 per-

perdamus. Atque de miraculis, quæ de ipſo perhibentur, hæcce.

§. 16. Tandem ſubjicit D. *Paulus* καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας &c. Mirum quoque in ſeductione & fraudibus præbuit ſeſe artificem Muhammedes. Nos præcipuas enumerabimus, quas adhibuit tum in *adducendis ad ſuam fidem*, ut ita dicam, *Proſelytis*, tum in eadem retinendis ſuis, quos ita vocant, (مسلمين) *Muslemannis*, i.e. fidelibus & ſuæ religioni addictis. Nam & *ampliare* ſuum regnum ſtuduit, *& ſtabilire*. Quod poſteri & imitantur. De utrisque illaque unum judicium.

§. 17. Seduxit itaque multos I. *per apparentem bonitatem doctrinæ*. Merces ſuas, id eſt, falſa dogmata quo facilius extruderet, incruſtravit easdem hic interpolator (α) *tenui quadam in craſſiſſimis tenebris lucente veritate*. Verum erat, e. gr. *Unum ſolum Deum eſſe colendum*: At ſub his cineribus ignem latitare, velleque eum hoc ipſo Trinitatem evertere, non poterat quilibet imperitior perſentiſcere. Et potuiſſe ipſum rudi Arabum popellæ his rebus aliisque imponere, non mirum eſt, ſi recolimus *Arium*, *Sabellium*, *Pelagium*, aliosque hæreticos ſub forma ὑγιαινόντων λόγων etiam perſpicaciſſimos patrum diu latuiſſe, donec accenſa verbi divini luce & accuratiori adhibita inquiſitione ex iſtis ſuis latebris extraherentur. (β) *Suavi dogmatum dulcedine, amicoque cum carne conſenſu*. Vere prædicatio Evangelii juxta captum mundi μωρία eſt. I. Cor. I. 25. credere enim in eum, qui non ſolum ipſe idque inter facinoroſos *crucifixus* ſit, ſed & qui diſcipulos *crucem tollere* & ſic *ſe ſequi* jubet, quique pollicetur, quod flagellentur *in Synagogis propter nomen ſuum, ab omnibus odio habeantur*, ex una *urbe in aliam ejiciantur*: imò, quod graviſſimum eſt, *etiam interficiantur, &c.* humanæ rationi admodum abſurdum

dum

dum & ingratum eſt. Sed Mahometes gratiorem ex carnis ſenſu deprompſit philoſophiam! pollicetur in ſuo paradiſo lecta auro argentoque fulgentia, valles amœnas, fluenta limpidiſſima, uxores pulcherrimas, ciborum potuumque genera exquiſitiſſima, aliasque res quæ vel ſolo nomine hominum animis abblandiuntur, eosque attrahunt. Quibus gens operum ruralium labore penuriaque rerum omnium confecta cum audiviſſet ſeſe aliquando circumfluituram, nec dumoſum ad hanc felicitatem iter ducere; indulgerique ſibi interea libidines, cædes, perjuria, aliasque cupiditates, in quas ſua ſponte & alias (vulgus præſertim) ruit, facile huic doctori aſſenſum præbuit, eoque ſtipendio nomen dedit. Moventi etiam in Perſas plures hortorum in Perſia quam in Paradiſo potiendorum ſpes aſſociavit, prout memorat *autor de Hæreſi Heraclii, & princ, ac lege Machum.*

§. 18. II. *Summam Sanctimoniæ* ὑπόκρισιν *in vita.* *Sunt* enim *Muhammedani*, ut ait Cl. meus Præceptor *Ravius* in dicta Panegyri, *per ſe vitâ continentiore, quam virtutem partim religioni ſuæ, partim aëris ſalubritati, aut ſterilitati quorundam locorum debent, quam NOS CHRISTIANI, qui nominis hujus velut aliqua libertate, abuſuum autem majore fere licentia, ſic vivimus.* Cum quo conſonat Septem-Caſtrenſis cap. IX. *Omnem levitatem, in quibuscunque actibus eorum & geſtis, veſtitu & apparatu, deteſtantur ſicut ignem, & abominantur ſicut peſtem. Videntes enim levitatem CHRISTIANORUM in veſtitu & equitatu, & aliis quibuscunque derident, & eos capras & ſimias vocant.* Qui deinde per aliquot paginas, quàm ſint *ſimplices in cultu, devoti in templo, parci in ædificando, mulieris apud eos honeſtæ, &c.* exponit. Et hæc res non paucos ſeducit, qui Chriſtianorum licentiâ in peccatis proh dolor! offenſi, Muhammedanis ſeſe adjungunt.

§. 19. Quæ

§. 19. Quæ tamen eorum integritas, si penitius tàm quoad *præcepta*, quam *exempla* introspiciatur, manifestum evadet, non omne esse aurum, quod fulget. Nam e. gr. jejunium præcipit impostor, idque sub necessitate obtinendæ salutis, sed quæso quale? Prodit se magister nequitiarum Surata *Vaccæ* hoc modo. *vobis nocte jejunii accedere ad uxores vestras licet: ipsæ sint indumentum vobis*, &c. *noluit Deus, quod vos fraudetis vosmet ipsos, & clementer agit vobiscum, & parcit vobis. Igitur commiscemini cum illis, & inquirite quod præscripsit vobis DEUS & COMEDITE & BIBITE usque dum distinguere possitis filum album à filo nigro ex illucescente aurora. DEINDE complete jejunium usque ad noctem, & ne commisceamini cum iis, sed persistite in templis. HÆC sunt PRÆSCRIPTA DEI* (An forsan ex I. Cor. VII, 5. Joel. II, 16?) &c. At, quale *præceptum*, tale quoque dubio procul est ibi *exemplum*. Prohibet perjurium: sed comissum, potest decem pauperum sustentatione expiari, Surat. XIII. Quid ergò mirum, si liberè ibi perjuriis ludant divites.

§. 20. Sic vinum prohibet Surata IIX. XIII. &c. At verò sectatores ejus præceptum hoc quomodo itidem exequantur, operæ pretium est audire Busbequium in itinere Constantinopolitano p. m. 19. *Erant Budæ frequentes mecum in cæna Turcæ vini dulcedine illecti, cujus, quo minorem habent copiam, eò sunt AVIDIORES; eòque largius se INGURGITANT, ubi semel contigerit habere. In multam noctem fiebant invitationes. Post, ubi me ludi tædebat, surgebam à mensa, meque in cubiculum recipiebam: illi, quod vino nondum obruti IRE etiam poterant, tristes abibant, sed mox puer aderat, qui nomine ipsorum rogaret, ut iis vini copiam facerem. Scyphosque argenteos commodarem: velle, si permittam, in aliquo angulo noctem potando extrahere. Ego*

quan-

quantum vellent vini, itemque vasa, quæ petebant, jubebam præberi. Illi antè finem non faciebant, quàm mero sopiti humi sternerentur. Sic & Curios simulant, & Bacchanalia vivunt. Et mox addit: *non minores pœnas post hanc vitam sibi paratas arbitrantur, si vini minimum biberint, quàm si plurimum. Itaque ubi semel vinum gustaverunt, potare pergunt. quod veluti pœnæ jam commissa peccent impunè; ebrietatemque in lucro ponant.* Et non tempero mihi, quin adscribam quæ sequuntur: *vidi senem quendam Constantinopoli, qui cùm calicem sumsisset in manum, ut biberet, magnos priùs clamores edebat. rogati à nobis amici, cur ita faceret, respondebant: eum his clamoribus commonitam velle animam, ut se reciperet in aliquem corporis angulum aut prorsus emigraret; ne rea fieret ejus delicti, quod ipse erat admissurus, neu vino, quod infusurus erat, pollueretur.* Atque hæc illorum est sanctimonia.

§. 21. III. *Insignem nonnunquam erga Christianos humanitatem.* Loquitur de hac Cl. Ravius in panegyri citata hunc in modum: *Græcos non ampliùs, sicuti olim, coarctant, aut angustiis vexant, qui eâdem libertate, qua olim, utuntur, Græcissant, hoc est, potant ἀπνευςί. Compotationes frequenter instituunt, tripudiant, saltant, cantantque in gyrum saltantes, flexis inter se brachiis, decem vel viginti homines, Galatæ præcipuè: & in medium, auletem sæpissimè adhibent, quibus omnibus sine discrimine miscent se Turcæ. Imò, vulgò Constantinopoli Græci eadem, sæpè majore, utuntur libertate, quàm Turcæ, &c.* Quàm verò facilè unà cum Vino etiam religio imbibatur, suâ luce radiat, & ex interdicto DEI de vitandis alienæ religionis hominibus me tacente patet. vid. Deut. VII, 3. II, Cor. VI, 14. II. Joh. v. 10. II. Reg. VIII, 18. I. Reg. XI, 4. 5. 6. Num. XXV, 1. 2. 3. seqq. Tit. III, 10.

§. 2 . Nec minori ἀπάτῃ suos in falsa religione Muhammedes retinet. Idque I. *Educatione. Cùm enim*, ut ait

D Lud.

Lud. Vives lib. cit. *Studia humanitatis, id est, Philosophia, & reliquæ ingenuorum & ingenuæ artes, ut honore velut gratissimo quodam & saluberrimo favonio exhilaratæ flores & fructus fundunt, ita contemptu aut etiam neglectu flaccescunt, & emarcidæ collabuntur:* Et *Turca*, ut mox subjungit, *quam alienus sit ab omni cultu animi, Scytha sanguinarius, quis vel fando non audivit?* manifestum est, eum suorum ruditate veluti glaucomate uti, ne religionis suæ falsitas prodatur. *In his n.* ut ait Septem-Castrensis c. XXI. *quæ ad salutem pertinent, & ad res spirituales cognoscendas, tam stolidi tamque inepti sunt, ut videantur ad modum bestiarum ratione carere, & quasi saxa indurati nihil spiritualis intelligentiæ posse capere.* Et paulò post: *si diceretur alicui, quare non bibis vinum? quare non comedis carnes porcinas?* & *sic de aliis; penitus obmutesceret, aut aliquid mendacii vel fictionis responderet, vel ut in capitulo nono* (lege, decimo) *dictum est, immundiciem causaret*, hoc est, ut ibi explicat, quia *hominem immundum reddit* caro porcina. Bona ratio! incertum per æque incertum probatur.

§. 23. II. *Interdictâ disputandi de fide veroque inquirendo libertate.* Si qui sunt, quibus magis æquus faverat Jupiter, ut crassos illos ignorantiæ fines transilierint (neque enim omnes tam stupidæ ignorantiæ fratres esse, ex *Cl. Ravio* disco in ead. orat. dum ait: *studiis quoque, pro suo modulo tribuunt, qui Medicinæ, Astrologiæ, Astronomiæ, Geographiæ, Mathesique non vulgariter student)* iis, atque in universum omnibus, altum de fide seu religione impositum est silentium, per Suratam XXXII. his verbis: *Tecum disputare volentibus dic, DEUM solum omnes actus tuos cognoscere, qui die postremo lites omnes & contrarietates discutiet.* Conf. Surat. XV. XVII. XX. CXIX. &c. Huc pertinet quoque interdictum I. de *non introducenda in regnum Typographia.* II. de *non exportando Alcorano aliisque* libris, in quibus impia illorum religio con-

tinetur

tinetur. *Meritò verò suspecta est merx, quæ hac lege obtruditur, ne inspici possit*, ut benè ait Hugo *Grotius de Veritate Relig. Christianæ l. 6. p. m* 304.)

§. 24. Tandem, si quis & hos carceres egredi tentarit, habet Sultanus suos *emissarios & inquisitores*. Qui (1) *accusatos de omissione*, ut verbis Septem-Castrensis denuò utar, *orationis, multis afficiunt contumeliis. circumducunt enim eos, tabulam cum caudis vulpinis collo appendentes, & non sine taxa pecuniæ dimittunt, maximè si hanc negligentiam in quadragesima eorum admiserint.* (2) Duriter excipiunt, si quos viderint sollicitare Muslemannum (uti loquitur) ad fidem Christianam. testatur hoc Hornbeck in summa controv. p. m. 205.

§. 25. Hisce omnibus rite pensiculatis, non mirum est, hanc impietatem, DEO justo judice ob peccata illorum, qui Christiani audire gestiunt, eam permittente, hodie longe lateque dominari, soleque meridiano clarius est, nihil planè divini in illa mysterii hujus ἀδικίας propagatione inesse: contrà, Christus quòd in *mundo sit creditus*, μυστήριον esse ὁμολογουμένως μέγα, & omnium hominum machinationes longè transcendens. Conf. capita I. & II. Epist. I. ad Corinthios, Mornæum de veritate relig l. c.

PARS SECUNDA.

CAP. I.

De principio utriusque religionis, Christianorum sc. & Turcarum, cognoscendi.

CUm hîc de religione instituatur tractatio; *quæ*, secundùm Ciceronem, *superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam ceremoniamque adfert*; non immerito

statim quæritur de ejus principio, unde utraque sit dijudicanda. Convenit itaque utrinque, ad salutarem numinis divini cognitionem requiri peculiarem hominibus factam revelationem, hominemque non posse ex natura, DEI essentiam & voluntatem salvificè cognoscere, cùm, ut ipse fatetur Muham. Surata XXVII. *nemo sciat, neque in cælo, neq; in terra; mysteria abscondita, nisi DEUS.* Hanc v. veram DEI revelationem contineri nos dicimus in *libris*, quos habemus, *Propheticis & Apostolicis*, conscriptis olim ab hominibus ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοις 2. Pet. 1. 21. Nec hoc abnuunt Saraceni: *ajunt enim, sese credere Evangelio & V. Test., verùm & nos & Judæos non habere libros incorruptos*, sicuti prodit de illis *Clenardus ad Latomum*. Pressi itaque aliquo dicto S.S. Scripturæ, mox confugiunt ad illud suum κρησφύγετον, *Prophetas vel Apostolos olim non ita scripsisse, sed esse ita sacrilegio quodam vel Judæorum vel Christianorum posterioribus temporibus SS. Scripturæ infartum.* Oritur itaque

CONTROVERSIA PRIMA,

An Scriptura Sacra, quam nos habemus, ita sit depravata, inversa, mutilata, &c. ut verum ab adulterino dignosci nequeat?

§. 1. Ita quidem ait Muhammedes, quippe cujus hæc sunt, Surata II. *Illa gens* (Judæorum) *verbum DEI mutavit, nec ex eo quid operari voluit.* Similiter Musulmanus Sampsates Isphachanes Persa ad Monachum Meletium: *Ipsius Muhammedis nomen & in V. T. & in Evangelio, etiam Christo hoc commendante, descriptum erat: Christiani verò illud ejecerunt.* Alludit hic ad Suratæ LXXI. locum, quem superius adduximus part. 1. c. 2. §. 4. *Post Mosen venit Christus Mariæ filius, dicens: ô filii Israel, ego vobis à Deo missus, &c. post me veniet nuncius, cui nomen*

nomen Muhammed, &c. idque ex Joh. XIV. expunctum mentitur, itemque ex Deut. XIIX. de quibus postea videbimus.

§. 2. Quòd autem ejusmodi corruptio & falsatio facta non sit, probamus I. *In genere*, ex omnibus iis argumentis, quæ pro integritate S. S. à nostris Theologis magno numero adducuntur. Vid. B. D. Gerhardus in Exeg. LL. Th. L. de Sc. S. §. 318 seqq. it. Cõfess. Cath. l. 2. spec. part. 1. art. 1. C. 2. §. 2. B. D. Glassius Philol. Sacræ lib. 1. II. *In specie* autem & κατ' ἄνθρωπον (1) ex *defectu certæ probationis*, ab Adversariis adductæ, ut mox videbimus. (2) ab *impossibilitate hujus depravationis*, idque α. *ratione causarum efficientium.* Aut enim à Christianis & Judæis facta est: idque ab iis vel conjunctim vel separatim. *prius* esse non potest, nam hæ duæ partes nunquã conspirarunt: nec *posterius*, ob eandem rationem: alter enim alterius sacrilegiũ statim prodidisset. β. *ratione objecti.* Biblia erant per totum orbem dispersa, in varias linguas translata: quomodo verò in omnibus exemplaribꝰ dolus ille fieri posset, ut non collatis deprehenderetur. γ. *Ratione temporis & finis.* Aut enim ante Muhammedem corruperunt libros sacros, aut post eum. *hoc* dici nequit, extant enim antiquissima exemplaria tum Græca, tum Syriaca jam ante Muhammedis tempora scripta, quæ dd. l. nullam Muhammedis faciunt mentionem. Nec *illud*, fecissent enim hoc propter vaticinium aliquod de illo. Quæro itaque, quale vaticinium Christus de Muhammede ediderit, an ut de homine *bono*? an ut de *malo*? *posterius* Muhammedani, sat scio, non admittent: adversatur enim illorum causæ, & si ita fuisset, Muhammedes minimè ad illud provocasset, nisi se suo indicio, ut sorex, proditũ voluisset. Imò, Christiani vel tum maximè ejus nomen reliquissent intactum, quò facilius illum hominem dignoscere possent, jam advenientem, adeoque sibi facilius ab eo cavere, ut-

 pote,

pote, qui fœnum in cornu haberet. Si *prius*: ne quidem Christiani hoc bonum expungere voluissent, ἅπαντες γὰρ ἀγαθοῦ τινὸς ὀρέγονται, ut ait Philosophorum Princeps. Nec dicere quis potest, ex mera *malitia* & *invidia* contra Muhammedem hoc Christianos commisisse. Nam tunc aliquid, quod in ignominiam Muhammedis peculiariter cessisset, rursus intulissent, ut *Pseudo-Propheta*, *seductor*, *&c.* Sed ubinam in illis libris, quos habemus, tale quid reperitur? (3) *Ex testimonio ipsius Alcorani*, quod admittere omninò debent. Surat. Jona: Si *oboritur tibi suspicio de his, quæ in hoc Alcorano, misimus ad te, consule, eos, qui legerunt SCRIPTURAS ante te.* Quod non potest de aliis intelligi, quàm de *Judæis & Christianis*. At! si nostri libri sunt corrupti, quomodo infallibilis, ut volunt, illorum Propheta potuit auditores suos ad falsata & fallentia testimonia remittere, vel decuit?

§. 5. Objicit (1) Joh. XIV. ubi post hæc verba: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, &c.* nomen Muhammedis deletum. sed ait hoc: non probat. Contrarium nos in theseos nostræ probatione adstruximus. Eadem ergò facilitate rejicitur, qua adfertur. (2) Deut. XVIII, 15. Resp. 1. illum locum de Christo agere, ceu patet ex Actor. III, 22. c. VII, 37. Joh. I, 45. Et ne dicat, N. T. in illis locis esse corruptum, reponimus 2. h. l. maximè Muhammedi adversari, nam α. Muhammedes non est נביא כמוך משה *Propheta sicut Moses.* Contraria enim Mosi ille docet, ut infrà patebit, nec in miraculis venit, ut alter, de qua re suprà adeoque β. non sunt דברי בפיו *verba Domini in ore ejus.* γ. Non est מאחיך de progenie Israelis, sed ישמאל Ismaelis. (3) Locorum variorum discrepantiam, ut quòd genealogia Christi aliter texatur à Matt. c. I. quàm à Luca c. III. vocatio Apostolorū Petri & Andreæ aliter nar-

retur

retur à Johanne c. I. quàm à Matthæo c. IV. &c.? R. 1. Non veras, sed apparentes has esse contradictiones, in ipso conflictu, data occasione ostendemus. 2. *Regerendo*, plures esse in ipso Alcorano dissentiones, ut post videbimus.

CONTROVERSIA II.

An Muhammed fuerit verus DEI Propheta, Christoque major?

§. I.

AFfirmat hoc de se Pseudo-Propheta variis locis Alcorani. vocat enim se passim رسول الله Apostolum DEI, item Prophetam, Magnum scil. illum Deut. XIIX. Unde & in circumcisione, quam in octavum, vel quod excurrit, annum rejiciunt, hanc confessionem Islamismi edunt: لا الله الا الله واحد ومحمد رسول الله *non est Deus, nisi Deus unus: Muhammed autē Propheta, nuncius, vel Apostolus ejus.* In extremo quoque judicio plus suam quàm Christi intercessionem valituram fabulatur. Vid. Fabulosissimum *colloquium ejus cum Abdia Judæo*: Sic Surat. XXXIII. vocat se خاتم النبيين *sigillum Prophetarum.*

§. 2. Nos hoc negamus ex Lucæ XVI, 16. *Lex & Prophetæ ἕως usque ad Johannem, ἀπὸ τότε deinceps regnum Dei εὐαγγελίζεται, evangelizatur.* Nullum v. certius testimonium Prophetæ habere possumus, quàm I. *à doctrina.* Unus idemque Deus, &, qui sese cæteris Prophetis & Muhammedi revelavit, teste ipso Muhammede. Surat. *de mulieribus. Equidem nos inspiravimus tibi, sicuti inspiravimus Nohæ, & Prophetis post eum, & apparuimus Abrahamo, & Ismaeli, & Isaaco, & Jacobo, & tribubus, & Josuæ, & Job, & Jonæ, & Aaroni, & Salomoni, & dedimus Davidi Psalmos.* &c. Ergò non potest de una eademque re diversa dicere. At Muhammedes contrariatur cæteris, e.g. in manifestissimis. Mariam JESU matrem, dicit Aaronis sororem esse, Surat. XIX. Mosen in

in illius Pharaonis domo educatum, coram quo miracula ediderit, Sur. XXXVI. quod tamen falſum eſt, ceu liquet ex Exod. II, 23. libidines, homicidia admittit, &c. quæ tamen DEUS prohibet. Quæ deinde ſint contradictiones non ſolum cum libris ſacris, ſed & Alcorani cum ſeipſo, neminem fugere poteſt, qui vel primis labris, ut ajunt, eum delibavit. II. *In vita.* Prophetarum vita fuit (1) *Sancta* & quantum in hac mortalitate fieri poteſt, inculpata. De *Chriſto* fatetur ipſe Muhammedes paſſim eum fuiſſe *omnibus mulieribus & viris ſplendidiorem, mundiorem & jucundiorem, ſummi nuncii gaudium* &c. *virum ſapientem, optimum, ab univerſalitatis creatore miſſum.* Muhammedes verò fuit Veneris cultor. vid. *ἀνωνύμȣ Chriſtiani Diſput. de Principatu & lege Mahomet. p. m.* 14. mercatoribus ac viatoribus inſidiatus eſt, latrociniis & homicidiis vacavit, aliorum camelos abſtulit, pupillorum cujusdam carpentarii domum per vim occupatam مسجد ſeu templum fecit. *p.* 3. Judæum quendam ſenem dormientem obtruncavit, impudicitiæ & libidinis mancipium. *p.* 4. Et quis poteſt omnia ejus flagitia enumerare? (2) *Proſpera*, quantum ad mirabilē è præſentiſſimis vitæ periculis ereptionē. Sic Deus Daniel. ex ore leonū liberavit. Dan. VI Moſen à Pharaone Exod. XIV, Eliam ab Achabo, I. R. XVII. XVIII. XIX. At Muhammedi in ipſa vocatione, cùm armis propagare juſſum ſe diceret religionem, defuit ſucceſſus; coactus eſt *fugere Medinam.* Elmancin. l. I. in *maxilla vulneratus eſt, duo dentes ei excuſſi.* ibid. *prælio ſuperatus eſt.* Vid. *Autor de Hæreſ.* Heraclii & princ. & lege Machumed. &c. III. *à miraculis.* Prophetæ V. T. miraculis fuerunt illuſtres, ſed Muhammedis ſi quæ jactitantur miracula, falſá eſſe diximus & ementita. IV. *à prædictione* futurorum. Prophetæ à Deo miſſi, vera prædixerunt:

xerunt: Muhammedes mentitus eſt. tertiâ enim die poſt mortem ſe in cœlum aſſumptum iri prophetavit: ſed ejus vaticinium cum fœtore & pudore in nihilum abiit. Vid. cit. *diſput. Anonymi illius Chriſtiani p. m.* 6. V. *à donis.* Quos Deus miſit, variis ſimul donis inſtruxit, ut Apoſtolos ſcientiâ variarum linguarum, *Act. II*, 4. Moſen variis prodigiis, *Exod. IV. &c.* Eliſæum itidem, *II. Reg. II*, 9. Davidem, *I. Sam. XVII*, 34. 50. Simſonem, *Jud. c. XIII. ad c. XVII.* At Muhammedes erat ſcribendi imperitus. Surat. XVII Imò ſolus linguæ Arabicæ vernaculæ ſuæ gnarus. Vid. *Cardinalis de Cuſa lib.* 1. *Cribrat. Alcorani c.* 4. VI. *à propria confeſſione.* Nam Surat. LVI. dicit, *ſe neſcire, utrum ipſe & ſui in via ſalutis ſint, nec ne?* contrà Paulus, *Gal. I*, 8.

§. 3. *Objiciunt* (1) victorias ejus & Muſulemanorum multitudinem. Reſp. 1. victoriam ſæpè dari à Deo non merito ejus, qui vincit, ſed qui vincuntur. Num. XIV, 45. Joſ. VII, 4. 5. ſeqq. 2. Mahomedes ipſe victus eſt. E. ejus doctrina non eſt vera. 3. Diabolus plures ſeduxit, quàm Muhamedes, Ergò & ille hôc verior Propheta? 4. Non ſpiritu oris DEI, ſed ore gladii & fraudibus aucta Muslemanorum ſecta eſt. Apponam & (2) objectionem, non tàm ob ſui difficultatẽ, quàm objectantiũ in mentiendo impudentiã. Dicunt *Muhammedis nomen etiam ab æterno in dextra divini throni parte ſcriptum*, hoc modo: لا اله الا الله ومحمد رسول الله *non eſt Deus niſi Deus* ſcil. unus, ut alibi additur,) *& Muhammed Apoſtolus ejus.* Reſp. purum putũ hoc mendacium evertit ſe 1. *ſua ipſius abſurditate.* nam 1. Deus talem materialem thronum ante conditum mundum non habuit. Quæro 2. quis illa ſcripſerit? Deus ne, an Angeli? *Angeli* ab æterno non fuerunt, ut ipſe fatetur, Surat. XVII. Si *DEUS* ſcripſit. quæro 3. quem ob finem? An

ut *ipse* tàm præclari Prophetæ non oblivisceretur, qui *cuncta scit & audit*, Sur. VI. An quò *Angelis* scripto voluntatem suam ostenderet? At de hoc altum in Sc. S. silentium. An verò Muhammedani tantâ oculorum acie valent, ut hinc de terris juxta mentem Pseudo-Prophetæ, possint illam scripturam legere? 2. *propriis ipsorum hypothesibus*. Benedicturi enim Muhammedi dicunt, rogantque Deum, ut *benedicat EI, SICUT benedixerat Abraham & generationi ejus*. Ergòne & Abrahami & ejus posteritatis nomina itidem ibi scripta sunt? Non admittent, credo, nec nos id de Muhammede credimus. Sed quis adeò patiens, ut velit in his nugis tempus terere. Loca *Joh.* 14. *Deut.* 18. anteà vindicavimus. Apud *Es. XXI*, 7. per רכב חמור non intelligitur Christus, ut illi volunt, sed *Cyrus*, & per רכב גמל *Darius*, non Muhammedis, nisi fortè concedere velint, adventum Muhammedis fuisse משא *onus*. v. 1. & חזות קשה *visionem gravem*. v. 2. cujus gratiâ lumbi Prophetæ impleti sint חלחלה *ægritudine acerbissimâ*, adeò, ut צירים *dolores corripuerint eum*, כצירי יולדה, *ut dolores parturientis*. v. 3. נעויתי משמע נבהלתי מראות Et *corruerim cùm audirem, & turbatus sum, cùm viderem, prout de se fatetur Esaias* ibidem. Hoccine Evangelium Muhammedis est? Istene lætus nuncius, quem Moses & Jesus tot retrò seculis prædixerint venturum? quique se ipsum *Gaudii* nuncium gloriatur.

CONTROVERSIA III.

An Alcoranus sit liber θεόπνευστος, certa regula fidei & morum?

ID quidem statim ab initio Alcorani ponit Muhammedes: Ita enim Sur. II. *hic liber, absque falsitatis vel erroris annexu, veridicus* &c. & paulò post: *Omnis Adversarius Gabrielis,*

hunc

hunc librum tuo cordi per CREATOREM INTIMANTIS, *ipſumque divino præcepto tuis commiſſum manibus , cùm viam rectam edocens ſpem bonam bonis polliceatur , confirmantis, omnesque ſimiliter hoſtes Dei &c. flagitioſos cruciatibus affliget:* Et hoc ipſum, vel ſimilia ferè repetit ſingulis ferè paginis. Unde & tanta veneratio inter Muhammedanos hujus libri eſt (quemadmodum non ſolum CL. Schickardus in משפט המלך refert, ſed & *Pl. Rever. & Amplisſimus Dn.* PRÆSES, in quodam exemplari Alcorani Arabici apud Hackſpanium vidiſſe ſe mihi narravit) ut ejus involucro majuſculis literis inſcribi curent: لا يمسه الا المطهر *ne tangat eum, niſi mundus.* Non itaque eum niſi benè loti, idque extremis ſaltim digitis attingunt. Inſidere verò ei, ipſis immane eſt piaculum: Chriſtianis verò & Judaeis etiam capitale, referente *Busbeq. in itin. Conſtantinopol. p. m.* 45. Hinc & in ejus honorem quamlibet chartam, temerè humi jacentem, tollunt, rimæque indunt, ne fortè illa ex Alcorano delapſa, nomen DEI vel Muhammedis contineat. hoc verò mirè ad ſalutem facere ſibi imaginantur. Nam cùm alia nulla iis via detur ad Paradiſum, quàm per ingentem ferream cratem, igne fervefactam & candentem, idque nudis pedibus, veluti gallo gallinaceo per prunas gradatim ſubſilienti: hæc (ajunt) charta, memor olim exhibiti honoris, ex improviſo aderit, pedibusque ſubſternetur, vicemque relatura pedes eorum ab ignis injuria muniet. memorat *idem l. c.* 44. Unde etiam famulis ipſius (Busbequii) vehementer iraſcebantur, cùm viderent, illos ad ſordidiſſima quæque miniſteria, chartis abuti. Porrò quanto apud Muhammedanos in pretio lectio Alcorani ſit, patet quoque ex Sur. LXXIV. ubi hæc leguntur. *In Deum operum veſtrorum cognitorem, atque Prophetam, & hunc* (librum)

vobis divinitùs missum CREDITE. Unde & ſcribunt:
من قرا حرفا من كتاب الله وله حسنة *qui unicam tantùm legit de libro* DEI (Alcorano ſc.) *literam*, MERETUR *bonum retributionis.* Ita etiam hic liber, ne inſcius ſies, etiam de opere operato juſtificat.

§. 2. Nos contrà hujus Alcorani θεοπνευστίαν planè rejicimus, ejusque authoritatem loco libri non ſolùm non ſacri, ſed ne ſapientis quidem dignamur, imò pro fanatico habemus. idque I. *ratione cauſæ efficientis.* Compoſitus enim eſt à Muhammede, homine omniū bipedum ſceleſtiſſimo, impuriſſimo, & Cumano aſino rudiore, qui ipſe, juxta propriam confeſſionem, *neſciebat, an ille, & ſui in via ſalutis eſſent, nec ne?* Deinde, ſi vel maximè de Muhammede ipſo concederetur, eum Prophetam fuiſſe à Deo miſſum, quid fiet de reliquis, qui poſt eum in Alcorano vel aliquid mutarunt, vel addiderunt, vel detraxerunt? An & illi pariter θεόπνευστοι credendi? Negat certè id, ſi fortè dixerint, ipſe eorum Propheta, utpote, qui *nullum poſt ſe Prophetam venturum* ait: quamvis in illo, ut in aliis ferè omnibus, fallatur & fallat homo mendax. Nam quidam, *Solem* nomine, pòſt apud Babylonios Propheta ſurrexit; ipſeque falſus ut ille, multique Saracenorum ei adhæſerunt; ſed meritas tandem Tartaris ſeductionis pœnas dedit, teſte *Fr. Richardo c. IX.* Cæterum ipſum *Alcoran* quod concernit: varias miſer ſubiit mutationes, fereque mortuo Muhammed Muhammedis hic infelix fœtus immortuus fuiſſet, ni complures ei obſtetricati fuiſſent. Et primò quidem ſocero ejus Abubecro imperitante, cùm alii legerent ſecundùm Hali Prophetæ generum, alii ſecundum Arabem quendam, è deſerto nuper proſilientem, alii ſecundùm Zabefatin & Arabin, alii ſecundùm alios; omnes quæ quidem

repe

reperiri poterant (quid? si non omnes tum repertæ sunt?) hinc inde dispersæ partes in rotulis & membranis allatæ sunt. Super his, veluti Eridos pomo, maximæ coortæ sunt acerbissimæq; contentiones, cùm alii dicerent ad alterum *Ego melius quàm tu habeo, sed tu deterius quàm ego: & ego totum habeo, sed tu nihil:* ut refert *eruditissimus ille anonymus Christianus de hæresi Heraclii, & principatu & lege Machumetis, pag. m.* 10. Atque hæc est certitudo fidei Muhammedanæ! Deinde cùm Osmannus summam rerũ ad se rapuisset, iterum tumultuatum est de vera hujus, si Diis placet! authentici libri lectione. Tyrannus itaque non sine causa subveritus, ne hoc religionis dissidium, in regionis quoque, ut assolet, excidium vergeret, omnia rursus volumina comportari jussit, Alcoranique integritatem, teste *libro de generat. Muhammed,* collegit. Nec verò tum etiam in iterata hac collectione omnes in libris tradendis Imperatori fuerunt dicto audientes. Hali certè Imperat. æmulus idemque Pseudo-Prophetæ, ut diximus, gener, aliique, Sultano per hoc insidias struere volentes, suos tradere noluerunt. Igitur quis nos certos reddet, num Zeidus filius Zebid Alenzari & Abdalla filius Alahebet, (qui Duumviri tum constituendi Alcorani ab Imperatore creabantur) magis immunitate errandi gavisi fuerint, quàm Hali, qui sua exemplaria retinebat? quæ sanè exemplaria si non *diversum* quid continuissent ab iis, quæ habebat Imperator cum suis, utique Hali in publicum ea produxisset: &, quid *aliàs* potuissent illa inservire homini res novas molienti? De *Priorum*, scilicet Zeidi & Abdallæ, ἀναμαρτησία quòd Musulmani non certi tum fuerint, satis superque testatur decretum mox subjunctum: *Si contigerit, vos in aliquo capite non posse concordare, scribite secundùm exemplar & authoritatem Chorais.* At pro *Hali* stant Persæ omnes, qui uno ore dicunt: *maledictus Abubecer,*

becer, Omar & Osman, *Clementiâ verò utatur Deus erga HALI, inque EO sibi perplaceat*. Et rursus quidam Persa: علب
الخدا نميدانيم نورا از خدا نميبين انم
Ali pro Deo non agnosco: sed nec procul eum à Deo esse scio. (De differentiâ autem Persarum & Turcarum præter hanc, videri potest *Hornbek in summa controv.* p. 97.) & seqq. it. *Hotting. in Histor. Orient. pag. 366. seqq.* Sed nec dum quidem in Islamismo cessavit תקון סופרים, id est, *correctio Scribarum*; ut id verbi ex Judaismo, unde & illi dogmata sua, maximam partem, vesana petierunt, tantisper mutuemur. Nam & post, Elehagio sc. filio Vizes ad clavum Reipublicæ sedente, denuo eandem ob causam congesti sunt ingentes Alcorani codicum acervi, ex quibus rursus multis detractis, multis immutatis, multis de novo insertis, novus tertiùm prodiit Alcoranus; reliquis ad Vulcanum, gymnasium illud condignum Pseudo Prophetæ, relegatis. Quis verò adseverabit, quòd nec ibi aliquod verbum Prophetæ deflagrârit? Capitulum certè *Bovis*, (caput est in Alcorano: Si non bovina ibi omnia!) olim prolixius fuisse capitulo *Vaccæ*, hodie contrà re sese habente, fatentur ipsi Muhammedani. Imò, seriò nonnulli inter eos conqueruntur, *TOTAM Alcorani Scripturam adeò commixtam & confusam esse, ut quicquid ibi est, totum sine continuatione, sine compositione, absque omni verborum ordine, postremò absque ullo sensu vel ratione videatur*. Confer. cit: *Christiani illius anonym. Disput. p. 9. & seqq* item: *Fratrem Richard. cap. XIII. Cantacuz. Orat. I.* Ne verò respondeant: *Collectionem quidem Alcorani ab hominibus factam esse: Intimationem ejus in cor Muhammedis à DEO per Gabrielem Archangelum profectam*: Videamus II. de *materia* seu *sensu in hoc libro contento*. Sur. LI. autor ipse pronunciat, unde de Alcorano fieri judicium debeat: *hic liber*, ait, *à DEO pio sapienteque compositus, nec MENDACIUM aliquod*

præ-

præſens nec futurum indicat, *nec à PROPHETIS præteritis contraria nunciat*. Contrarium ſi de eo probaverimus, ſequitur, *eum non eſſe à Deo pio*, (ut ejus verbis utar) *ſapienteque compoſitum*. Nam DEUS in Israele, uti & antea diximus, non poteſt à ſe ipſo de eadem re in mente & voluntate diſſentire, cùm nec *homines* ſapientes id faciant. DEUS verò eſt حكيم عليم *Sapiens*, *cognoſcens*, Surat. VI. & alibi. Quod ergò cum mente & voluntate DEI alibi patefactâ non convenit, id non poteſt eſſe ab hoc uno eodemque Deo profectũ, ſed oportet id eſſe *à patre mendacii Diabolo, in quo non eſt* ἀλήθεια *veritas*; *quique quando loquitur*, *mendacium* ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, *ex propriis loquitur*, *quia mendax eſt*, Joh. IIX, 44. At Alcoranus *eſt I. contrarius verbo Dei*, idque α. quoad *fidem*, dum Filium Dei, Spiritum S. adeoque Trinitatem negat, aliaque Φορτικὰ ἀκούσματα admittit, quæ diametraliter ſacræ Scripturæ opponuntur β. quoad *mores*, dum libidines adulteria, aliaque præcepto ſexto interdicta concedit. Surat. de *hæreſibus*: *O propheta*, *nos certe concedimus tibi*, inquit ei Deus, *poteſtatem in UXORES tuas OMNES, quibus dederis mercedes ſuas*, *& quaſcunque acceperit manus tua. Et filias PATRIS tui & filias AMITÆ tuæ, & filias FRATRIS MATRIS tuæ, filias MATERTERÆ tuæ, quæ peregrinatæ ſunt tecum, & QUAMCUNQUE mulierem credentem*, *quæ ſe tibi Prophetæ proſtituere voluerit, &c.* Et paulo poſt: *copulare cum quacunque ex iis tibi libuerit*, *& tecum fac inhabitare quamcunque volueris, & non erit tibi CRIMINI*, *vel ad hanc accedere*, *vel ab illa recedere.* Vindictam, latrocinia, cædes, non ſolùm permiſit (Sur. II. XIX. LXXI. *O viri boni*, *mercaturam vos à maximo malo defenſuram pateſaciam*, *videlicet in Deum atque Prophetam credite*, *& prædatum & expugnatum in Dei nomine cum veſtris animabus atque pecuniis tendite. Hoc enim*, *ſi ſapitis*, *eſt vobis OPTIMUM, cum Deus ob hoc PECCATA dimittet*, *& in Para-*

diſo

diso habitationes amœnas, domosq́; perpulchras vobis tribuet. Dabit item aliud à vobis maximè dilectum, videlicet Vindictam, & Terrarum levē & facilem acquisitionem, &c.) sed & suo exemplo pulchre iis præivit, uti in *controv.* superiori diximus. Egregium hercle magistrum! Non opus habuisset eos ad id instigare: sua enim sponte satis furebant. *Arabum* enim *gens*, & aliàs, *latrociniis fuit dedita*, teste *Hieronymo* in cap. III. Jerem Uxores ἀγαπᾷν ὡς τὰ ἑαυτῶν σώματα Deus præcipit, Eph. V, 28. & quos Deus συνέζευξαν, ab homine non vult disjungi, Matth. XIX, 6. Hic verò, ceu falsò gloriatur, Apostolus non solùm verberibus easdem ad officium redigere suadet, *Sur. IX.* sed & dimittere pro lubitu jubet *Sur. III. IIX. LXXV.* Taceo summam ejus in omnibus fere, quarum meminit, historiarum Biblicarū ἀνιστορίαν. e. g. *Sur. XXXVI. Ismaelem* vocat الذبيح *sacrificandum DEO*, cum tamen Isaacus is fuerit, *Gen. XXII*, 9. *Jacob. II*, 41. Mariam peperisse ad truncum palmæ, *Sur.* 39. cum tamen ἐν τῇ φάτνῃ contigerit, Luc. II, 7. Eliam Tisbitem fuisse Mosi coætaneum. vid. Hotting. Hist. or. pag. m. 59. 60. Inter quos tamen multorum seculorum fuit intercapedo. Et sic in aliis passim historiis sacris, quas nunquam non in Christianorum & Judæorum gratiam inspergit; plerumque verò simul miserè disperdit: quod primo statim intuitui lectorem fugere nequit. At verò dicunt Arabes:

من عرف بالكذب لم يجز صدقه

qui semel in mendacio deprehensus est, ei meritò deinceps derogatur fides. Sciens itaquè si ejusmodi παραχερισμοὺς & ἀνιστορίας fecit, malitiam id ejus arguit; si nescius, ignorantiam: neutrum verò, animum verè Propheticum. Præterea est Alkoranus (2) non solùm S. S. sed & *sibi ipsi contrarius.* Vide (nam nos operæ parcimus) *Lud. Viv. l. 4. de Verit. Fid. Christ.*

Rich

Richard lib. 3. *c.* 2. 6. *Cantacuz. Orat.* 2. *Joh. And. confus. Sect. Muham. c.* 10.*p.*141. *Fortal. Fidei L.* 4. *consid.* 3.*passu* 6. *Hornb. lib. sæpius cit p.* 131. aliosque. II. *Est maximè ridiculus & anilis.* Deus quando cum hominibus loquitur, ſerius eſt. Vide ſaltem *Exod. XXXIII*, 2. *Amos. IX.* 1. *ſeqq. Luc. XIX.* 41. &c. Muhammedes contra Siculas gerras, iisque ſi quid vanius, profert: e.g. Salomonem intellexiſſe garritum avium; ita enim interpretatur hic Myſta cum Judæis ſuis locum *I. Reg. IV.* 33.: adjutum eſſe à dæmonibus in templo extruendo; quæ, ut alia multa, ab iisdem Judæis habuit. *Vid.* שיר השירים רבה, haud longè ab initio. Eundem quoque Salomonem cum iſto ſuo exercitu, collecto ex avibus, hominibus, dæmonibus, & quibus non? egreſſum in formicarum agmen incidiſſe: ex quibus unam cæteras adhortatam, ut in habitationes ſuas ſe reciperent, ne opprimerentur à ſupervenientibus copiis, &c. Regem quoque illum jam mortuum diu latuiſſe dæmones, donec vermiculus (שמירא fortè is, quo lapidibus admoto, illi מאליהן *à ſe ipſis* ſine uſu ferramenti ſcindebantur: ceu fingitur in Thalmud, Maſſechet גטין *c.* 7. & ita locum *I. Reg. VI.* 7. intellectum volunt) baculum, cujus veluti vivus adhuc innitebatur, corroderet. Upupam regem de idololatria Reginæ Sabæ edocuiſſe: literas ad eandem pertuliſſe, &c. *Vide Fortal. Fidei loc. cit. paſſu* 3. *Cantacuz. Orat.* 2. *n.* 13. 14. *Richard. c.* 4. *Joh. And. Confus. Sect. Muham. c.* 4. 5. 10. *Thom. à Jeſu de conv. gent. l.* 10. *p.* 666. *Joh. Forbes. hiſtorico-Theol. l.* 4. *c.* 13. & ſexcenta alia, Æſopicis fabulis inſulſiora. Lukmannum quoque, Arabicum illum fabulatorem, eundem eſſe cum Æſopo Phrygio, ex eoque plurima Alcorani, deſumſiſſe hunc vaniloquum, colligit *Hott. lib. cit. pag.* 63. *ſeqq.* Imò fundamentum, quo tota lex innititur, ſcilicet aſcenſus Pſeudo-Prophetæ in cœlum, Apulejanis fabulis, aliisque, quibus

aniculæ infantes ſolari ſolent, nugatius eſt. Vide ejus deſcriptionem in *Fortal. Fid. l. c p.* 194. *Roder. Ximer. de reb. geſt. Sara. in vita Muhammed.* III. à Forma. Eſt in Alkorano (1.) *maximè tædioſa & inconcinna* ταυτολογία. Totum ferè caput aliquando nihil continet aliud, quàm: *Deus eſt miſericors, magnus, potens, omnia cognoſcens, &c.* Item: *credite in DEUM,* ورسوله *& Apoſtolum ejus*, puta Muhammedem. Imò ſub finem libri, verba ipſa, ut ſeni deliro, deeſſe videntur. Hinc fit, ut eum, qui ſemel illum evòlverit, denuò non capiat cupido illum in manus rurſus ſumendi; niſi aliqua urſerit neceſſitas. Quod prævidentes illorum religioſi aſtutè pro ſingulis ſuratis in eo legendis, ſingula quoque vitæ æternæ brabea (uti matres filiolis ardorem literarum ciere ſolent) conſtituerunt. Vid. *Hotting. Smeg. Orient. l. 3. part. 2. c. 2.* it. *de biblioth. Or. p.* 108. *ſeqq.* (2.) *Inhoneſta obſcœnitas.* Scriptura ſacra, ut à caſta mente profecta, verecunda eſt in iis rebus deſcribendis, quæ ingenuis pudorem incutere ſolent. Vide *I. Cor. VII.* 3. *Gen. IV.* 1. 25. *XXIX.* 23. *XLIX.* 10. *I. Sam. XXIV. &c.* Hic verò impurus hircus non auribus parcit: id quod eos, qui Arabicè quid ſciunt, præterire nequit. Ἡ δὲ ἄνωθεν σοφία, dicit *S. Jacobus C. III.* 17. πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστιν, ἔπειτα εἰρηνικὴ &c. conf. *I. Cor. III.* 16. 17. *VI,* 15. *ſeqq. Eph. IV,* 29. 30. *Heb. XII.* 14. (3.) *Nullus denique in pelago hoc mendaciorum ordo, nulla in argumentationibus vis*, ut lectio confirmabit. Vid. interim Fortalit. fid. p. m. 198. IV. à fine. Finis omnium noſtrarum actionum eſſe debet gloria DEI, 1. *Cor. X,* 31. imprimis autem is finis eſt revelationis divinæ, *Prov. XVI,* 4. ut & ſimul hominum Salus, *Joh. V,* 39. *XX,* 31. Hic verò, ſi modò homines tributum pendant, de ſalute illorum non magnoperè eſt ſollicitus. conf. *Nicol de Cuſa lib. 3. c. 8.* contrà *I. Cor. XI,* 14. Hinc cùm nulla ratione poſſet

Æthio-

Æthiopes in Africa, ob interjectum sinum Arabicum, à Christianismo ad suam superstitionem avertere, ad solitum sibi telum, mendacium, se convertit. Acceperat enim, hos ob amicitiam olim Reginæ Sabæ cum Salomone, Hebræa sacra amplexos, ultimóque Christianos factos: Effingit itaque Suratam XXXVII. in qua comminiscitur, gravissimas simultates inter reginam illam, Regemque extitisse, indeque subsecuta olim bella multa; ut excitato sic odio, cum amore Hebrææ gentis, etiam Christianorum sacra, à Judæis quondam profecta, abjicerent. *Widmestadius I. C. annot. ad. Epit. Alcor. n.* 63. Quomodo item Alcorano, ut velamine flagitiorum suorum, usus sit, narrat *Hornb. in libro nominato p.* 115. *seqq. & Hott. lib. cit. p.* 217. His adjici possunt multa alia, e. g. maxima *α. obscuritas.* Dicit enim, Alcoranum à nullo alio, nisi à solo DEO posse intelligi *Cantacuz. orat. IV. Septemcastr. c. XX.* Quæ ergò ejus utilitas? *β. Particularitas.* Fatetur, se ad solos Arabes missum, idque ut eos ab Idolorum saltem cultu averteret, quid ergò ei cum aliis, qui jam Muslemanni i. e. Orthodoxi videntur, verumque Deum ajunt se colere? Quid cum Turcis, qui Arabes non sunt? Denique *propria confessio.* Narrant *Cantacuz. orat. II. & Rich. lib. CIL. c. IX.* Muhammedem dixisse: se librum fecisse duodecim millium verborum mirabilium, sed in quo saltem tria millia vera essent; cætera verò falsa. Quomodo ergò jam dignoscere queunt, ubinam verum, & ubinam falsum, in hac tam confusa mole lateat? Contrà verò B. *Augustinus* de nostris Bibliis: *Si unum solùm verbum falsum inveniretur, justum esset, quòd totum Evangelium frivolum & vanum existimaretur & fabulosum.*

CAP. II.

De Salvatore Mundi JESU CHRISTO.

CONTROVERSIA PRIMA.

An JESUS Nazarenus, seu ISA, ut illi vocant, filius Mariæ, sit verus DEUS?

§. I.

ILlud est, quod omnibus modis Antichristus hic pernegat, eumque in finem blasphemum hunc librum confecisse improbus videtur; mirè à Sergio Monacho, & supervenientibus deinde Judæis, ad hanc rem fictus. Vide *autor. de hæres. Heracl. & princ. & secta Machom. Richard. cap.* 1. &c. Elogia quidem honorifica Christo passim attribuit: sed Deum fuisse pertinaciter negat. Unde Surat. XII. *Omnes ait, dicentes, Christum Mariæ filium, DEUM existere, mendaces & increduli reperti sunt. Cùm & Christus ipse dixerit: Filii Israël, in DEUM Dominum MEUM & vestrum credite: cui quisquis socium atque participem* (i. e. æqualem aut ὁμοούσιον) *posuerit, ingressum PARADISI illicitum sibi reperturus, in ignem ibit. &c.* Et sic per Suratas ferè omnes pergit. Unde ajunt:

الـلـه لا يـغـفـر ان يـشـرك بـه

Deus non remittit illud peccatum, si quis socium ei adjungit. Idem igitur est ei sermo, qui Diabolo illi, quem Porphyrius (referente Aug. l. 19. c. 23. de Civit. DEI) consuluit: *quid Christus esset? Virum,* respondit, *illum bonum esse: sed peccasse ejus discipulos, qui post magistri mortem divinitatem ei affinxerint, quam vivus nunquàm arrogavit.* A Diabolo alia tamen fit con-

confeſſio apud Marc. VI, 7. Accinit eâdem chordâ Sam-pſates Isphacanes Perſa in Epiſt. ad Monachum Meletium: *Chriſtum, cùm ſit SERMO DEI, falſo traducunt Chriſtiani, quòd dixerit, ſe filium DEI eſſe. nonne hunc Judæi,* ait, *interrogaverunt: Tune es filius Dei? καὶ ἠρνήσατο,* ſed *negavit, & dixit:* ὅτι ὑμεῖς τὸ λέγετε, *Vos id dicitis.* Hinc impudens hic perditionis filius, Sur. XIII. introducit Deum graviter cum Chriſto expoſtulantem, quaſi is legati fines transgreſſus *docuerit mortales, ſe & MATREM duos DEOS colere*; Chriſtum verò contrà factum ſanctè pernegantem. Adeò divinitas Chriſti, Diabolo ſemper in oculis ſudes eſt, ut ſingulis ferè ſeculis excitarit quosdam, qui eam oppugnarint, quorum Catalogum videſis apud *Bibliand. in Apol. pro edit. Alcor. Chemnit. in Loco de Fil. DEI. B. Gerh. Loc. de Perſ. & Off. Chr.* §. 185. *ſeqq.* Illorum è ludo, quòd & hic impoſtor exierit, ſatis patet. Nec deſinit, proh dolor! hic δυσχείμερος idem per *Judæos* & *Socinianos* etiamnum moliri. Quapropter nobis majori cum cura hoc Palladium, & quidem haud perfunctoriè, cuſtodiendum.

§. 2. Cæterùm *illi* quidem ex V. T. uti *Gen. XLIX,* 10. *II. Sam. VII,* 19. *Pſal. LXXXIX. Eſ. VII,* 14. *VIII,* 13. 14. *VI,* 18. 22. 23. *Jer. XXXIII. Hag. II,* 8. *Zach. XIII,* 2. 3. *Malac. III,* 1. &c. *Hi* verò, ex N. pariter T. convinci poſſunt, uti ex *Joh. I,* 1. *X,* 30. *XX,* 28. *Rom. I,* 3. *IX,* 5. *I. Cor. II.* 7. 8. *Col. I,* 2. 3. 15. *Phil. II,* 5. 6. 7. *I. Tim. III,* 16. *Joh. V,* 20. *Apoc. XI,* 22. &c. Cum infidelibus verò, quamdiu Scripturam S. non admittunt niſi ex illorum principiis, i.e. Alkorano, nihil agi poteſt. Conquirenda itaq; ex illorum hoc armamentario arma, quibus κατ' ἄνθρωπον fides & noſtra firmetur, & illorum reddatur ſuſpecta. Suppeditat v. hæc Muhammedis de Chriſto confeſſio, I. Quoad *nomen*, quod ſit v. g. VERBUM DEI. Surat. *Ibrahim* dicunt Angeli Beatæ

 Virgini

Virgini: *Maria, DEUS prætulit & purificavit te SUPER OMNES MULIERES.* Et mox subjungunt: *DEUS annunciat tibi de verbo suo, & nomē ejus Jesus Christus, filius Mariæ.* Et sic Surata Elnesa: *ne dicatis de Deo nisi veritatem*, sc. *quòd Jesus Christus filius Mariæ sit nuncius DEI, & verbum DEI, quod ipsum posuit in ea per SPIRITUM SANCTUM.* Nec diffitentur illi, Christum esse VERBUM DEI; uti vel ex Sampsatis testimonio jam citato, liquet. Quæri itaque non abs re potest, quale Christus sit verbum DEI? num προφορικὸν, an ὑποστατικὸν; si προφορικὸν, an *propriè* intelligendum, an v. *tropicè*? *illud* non potest esse: nam προφορικὰ illa multa sunt, quin & transeuntia; Christus verò unum quid est, & permanens. Si *Tropicè*: tum vel ideò, quia ipse concipiendus, Matri suæ verbo Dei sit annunciatus? Et sic nulla fit Mariæ *super omnes Mulieres* evectio, ut illorum Propheta h. l. vult: nam & aliis matribus idem quandoque contigit, uti *Gen. XIIX.* 10. *Jud. XIII.* 3. *II. Reg. IV.* 16. *Luc. I.* 13. Vel ideò, quia *verba Dei ipse aliis annunciavit?* At neque hæc ejus matrisvè præ aliis, quibus idem contigit multis, prærogativa est? Relinquitur ergò, quòd verbum sit DEI ὑποστατικὸν, quod & nos confitemur, ex *Joh. I.* 1. adeòque verus Deus. Cæterùm videntur hanc locutionem ei affricuisse reliquiæ Veterum Arianorum cæterorumque, quorum virus apud Ægyptios & Arabes aliquamdiu latuit, & postremò, autore Muhammede, magistroque ejus Sergio, late diffusum est, teste Pio Pontifice (qui antea Æneas Sylvius dictus erat) in Epist. ad Morbisanum Turc. principem p. m. 74. Hi enim λόγον ante omnes alias res, quo tanquam instrumento Pater ad cæteras creandas uteretur, creatum dicebant. Quem errorem Arium itidem à Judæis imbibisse, infra de creatione ex Widmestadio dicetur. Similiter & alia plurima encomia Christo in Alkorano tributa, passim obser-

observari possunt e g. Sur. V. quòd sit *facies omnium gentium, optimus ab universitatis creatore missus &c.* روح الله Spiritus Dei, anima Dei &c. Unde (2.) patet, eum nec *attributa divina* Christo, salvâ suâ fide, derogare posse. Uti e. gr. *aeternitatem*: Absurdum n. est, imò & *Impossibile*, Deum unquam sine Spiritu, sine anima, sine sapientia fuisse. Christum E. cum dicat haec omnia esse, largiatur necessum est, eum & ab aeterno fuisse, quod de Deo non inficiatur; sicque conveniet cum *Prov. IIX.* 22. *Joh. I.* 1. Sic & Omniscientiam 1. *Cor. II*, 10. Omnipotentiam *Prov. IIX.* 15. &c. (3.) Miraculorum effectionem Christo non denegat. *Sur.* n. *cit.* ait: *caecos & mutos curabit, & morphaticos & leprosos emundabit, mortuos vivificabit &c.* Sed addit mox idem, quod *Sociniani*, divinitatem Christi hinc non posse evinci. Verùm refutatur is error ex *Es. XL.* 10. *coll. cum Matth. III*, 3. *Joh. II*, 11. *Matth. X.* 1. *Marc. XVI.* 17. contrà de sanctis, qui miracula patrârunt, habes, e. gr. *Act. III.* 6. 9. 10. 16. Nec hoc subterfugere queunt & infideles, si Alcoranum à mendacio liberare volunt: qui Christum, uti dictum est, *Verbum Dei, Animam Dei, Spiritum Dei*, &c. vocat. Summa: tam honorifica fit Christi in Alkorano mentio ut exinde is, inter medios infideles aperte in Sacellis, ejus nomini dicatis, (4) *colatur*; imò & in praelium ituri ejus nomen gestent veluti praesentissimum ἀλεξίκακον vid *Schick. in Tarich. pag.* 80. Ubi & refertur, quòd P. Texeirae socii, cùm secundo Tigri veherentur, prope Bazoram, urbem in confinio Persidis & Arabiae sitam subito è navi erecti, devotissimè adorârint versus Anachoritae cujusdam domicilium, ultra ripam in oppositum conspectum quod Filio Mariae cum circumjacente palmeto dicatum erat. Et non solùm Christum supra Muhammedem in coelo esse fatentur, vid. *Officina Bibl. VValth. ad Evang.*

sed

sed & in libro Camus, magnæ apud illos autoritatis, verba *Ps. II. 7. Tu es Filius meus, & ego hodie genui te*, de Christo accipienda largiuntur; uti refert Guadagnolus *p.* 478 cur ergo non נשקו בר *osculantur Filium*, & sunt ex illis felicibus, חוסי בו *qui confidunt in eum*, juxta *ejusdem Ps. v.* 12.

§. 3. Offendicula, quæ Satanas & vesana ratio ponunt, ut totus fere oriens ad lapidem hunc, positum quidem in Sion à Deo Salutis ἀκρογωνιαῖον, *I. Pet. II.* 6. per accidens v. factum τοῖς ἀπειθοῖς אבן נגף וצור מכשול *Es. VIII.* 14. *I. Pet. II.* 6. & σημεῖον ἀντιλεγόμενον *Luc II.* 34. impingat, levicula sunt. Objiciunt v. (1) *Christum non seipsum, cum in terris versaretur, vocasse Deum.* ℟. Falsum hoc est. contrariū enim paret ex *Joh. IV.* 26. *V.* 17. 18. *seqq. IX.* 35. 37. *X.* 24. 25 30. 36. *seqq. XII.* 45. *XIV.* 1. *XIX.* 7. *Marc. XIV.* 61 62. Deinde: si vel maximè id concederetur, quid tum postea? Dum v. g. solem ut sponsum è thalamo prodeuntem *Psal. XIX.* 6. videmus, ecquid dubitamus, id solem esse, licet ille de se non tubicinet: se solem esse? Similiter, si principem videmus, annon talem credimus, si vel maximè ipse de se idē non deprædicet? Multi venient, qui dicent se esse Christum, *Matth. XXIV.* 5. ad opera itaque nos Christus remittit *Matth. XI.* 5. *Joh. X.* 25. 37. *XIX.* 11. Insuper: alios se Deum appellantes tantum abfuit, ut increparit, ut magis in fide confirmarit, uti videre est ex *Matth. XVI.* 16 *seqq. Joh. I.* 47. *seqq. Joh I.* 47. *seqq. XX.* 26. *seqq.* Aliud vero fecerunt sancti Dei homines, saltem *Act. X.* 25. 26. *XIV.* 13. *seqq.* uti & Angeli, *Apoc. XXII.* 9. Quod & contra Socinianos observandum est, qui eodem hic, uti sæpè aliàs, vitulo arant. (2) Interrogatum à Judæis Christum, num Filius Dei esset, ait Sampsates modò adductus, respondisse: ὅτι ὑμεῖς τὸ λέγετε, *Vos hoc dicitis*, intellige, non ego hoc dico, puta *Matth. XXVI.* 7; Resp. Hunc loquendi modum non negativum, sed affirmativum

mativum esse, quod patet luce meridiana clarius I. *ex ipso contextu*, idque α. ex subjuncta Christi declaratione v. 64. β. Summi Sacerdotis offensione. *v.* 65. γ. Circumstantiarum consideratione. *v. 66.* II. *ex Loco parallelo* apud *Marcum XVI.* 62. ubi hæc phrasis, per ἐγώ εἰμὶ rotunde exponitur. III. *Locutionibus similibus*, *Matth. XXVI.* 25. *XXI.* 11. 11. *Conf. Johann. XIIX.* 37. Ex quibus & vanitas (3.) objectionis, quòd Discipuli Christi hoc confinxerint, uti responsum Diaboli ad Julianum imitantur etiam hodie quidam Empæctæ. Nam α. si tam libenter mentiri voluissent, cur non sibi potius, uti Alexander Magnus, Apollonius Thyanæus aliique, quàm alteri divinos honores ementiti fuissent. β. Nullæ causæ erant, quæ illos ad hanc rem adducerent: quæ verò ipsos abducerent, quamplurimæ; puta, ignominiæ, verbera, cædes &c. Quæ omnia ipsos mansisse, Acta Apostolorum & historia Ecclesiastica luculenter testantur.

CONTROVERSIA II.

An Jesus Nazarenus revera à Judæis sub Pontio Pilato sit crucifixus, idque in λύτρον totius generis humani?

ITa verè in symbolo Apostolico confitemur ex S. Scriptura: negat vero Muhammedes ille *Christianorum & Judæorum mancipiorum discipulus*, ut eum appellat Widmestadius J. C. in ejus vita ad Ludovicum Bavariæ Ducem. Judæi enim, uti nunc, ita & olim, Christum Christianosque variis & blasphemiis & conviciis onerabant. Salvatorem quidem ipsum vocantes ממזר *Spurium*, תלוי *crucifixum* ימח שמו *deleatur nomen ejus &c.* hos verò כלבים *canes*, רשעים *impro-*

improbos, אדומים *Edomæos*, גוים *gentes*, שדים *Diabolos*, נשמתם בגהנם *anima illorum* ſit *in inferno*, *&c.* Vid. *B. Luth. Tom.* 8. *Jen. lib. de Jud.*, *Ern. Ferd. in Flagel. Jud. Buxt. Lex. Talm. pag* 1184. 2595. *B. D. Gerh. in loc. de Magiſtr. Polit.* §. 223. aliique. Chriſtianis itaque contrà gratificaturus, dicit *Sur. XI.* وما قتلوه وما صلبوه ولكن شبه لهم وان الذين اختلفوا فيه لفي شك منه ما لهم به من علم الا اتباع الظن وما قتلوه يقينا بل رفعه الله اليه وكان الله عزيز حكيما *Non interfecerunt* ſc. Jud. *eum* (Chriſtum) *neque crucifixerunt, ſed ita tantùm videbatur illis. Et certè qui in eo diſputant, certi nihil fovent: non ſcientiam, ſed communẽ duntaxat opinionem ſequuntur. Non equidẽ interfecerunt eum, ſed ſublatum ad ſe eum Deus aſſumpſit; Deus enim potens eſt, & ſapiens.* Atque ſic, dum odia ex orbe tollere vult hic ſyncretiſta, antiquum ſerpentis odium magis ſerit. Nam quod hic Diabolus per Muhammedem molitur, id fecit & olim, per *Cerinthianos*, *Cerdonianos*, *Marcionitas*, *Manichæos*, *&c.* qui Chriſtum non verum corpus, ſed φάντασμα aliquod aſſũſiſſe, adeoque κατὰ δόκησιν ſaltem (unde & *Docitæ* dicti ſunt hi Hæretici) eſſe mortuum: Vide *Tertull. lib. adv. Marcion. & lib. 1. de carne Chriſti. Epiphan. hæreſ.* 41. 42. *Iren. l. 1. c.* 29. *Clem. Alex. lib.* 4. *ſtromat. Theodoret. Dialog.* 2. *c.* 4. *Auguſt. de hæreſ. cap.* 22. *Niceph. l.* 6. *c.* 31. *Baſilidiani* verò: οὐχὶ Ἰησοῦν πεπονθέναι, ἀλλὰ Σίμωνα τὸν Κυρηναῖον, (de quo *Matth. XXVII.* 32.) fabulabantur, Vide *Epiph. hæreſ.* 24. *Iren. l. 1. c.* 23. *Auguſt. de hæreſ. c.* 4. *&c.* Quod Satanæ in mortem Chriſti Vatinianum odium, nec ceſſare noſtris temporibus, *Sociniani* ſatis ſuperque nos admonent.

§. 4. Digna itaque viſa eſt *Baſilidis* ſententia, quæ ab impoſtore interpolaretur. Aſtute itaque pro Simone Cyre-

Cyrenæo intrusit Judam Ischariotam, sicque vetus dogma orbi obtrusit pro novo. Judam enim Muhammedani volunt, dum Salvatorem quæreret, à Judæis fortè fortuna arreptum, locoque Christi in crucem actum; ipsum verò Christum interea esse per tectum à Deo sublatum in quendam locum cœli, ubi is ad extremum usque diem sit permansurus. Tum verò clangente Angelo tuba, unà cum cæteris eum creaturis in scenam esse proditurum, atque cum iisdem ab Angelo mortis tandem occidendum: post aliquot XL. annorum intervalla in judicio appariturum, non quidem ut judicem, quemadmodum Scriptura testatur, *Matth. XXV.* 31. 32. *Act. X.* 42. *XVII.* 31. *&c.* sed ut testem saltem servatæ vel violatæ legis; quemadmodum adfuturus & Moses ibi cum suis, villicationis rationem redditurus. Vide *Theol. Mahom. seu Colloq. cum Abd. Jud.* Atque hæc illorum sunt Lethæa de morte Christi insomnia.

§. 5. os itaque verbo Dei meliùs, Dei gratiâ informati, contrà dicimus: verum Messiam debuisse pro peccatis mundi mori, juxta Prophetarum vaticinia *τῶν προμαρτυρεμένων τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, καὶ μετὰ ταῦτα δόξας*, ut loquitur D. Petrus *I. Epist. I.* 11. uti sunt v. gr *Ps. XXII.* 7. 8. 17. 18. *&c. Es. LIII.* 4. 5. 6. *&c. Dan. IX.* 26. *&c.* atque sic illud *Judæorum* de duplici Messia commentum glorioso scilicet uno & majestatico Filio David, altero verò humili & paupere filio Joseph (Vide Abcath Rochel part. I. prorsus exsibilandum: Jesum quoque Nazarenum, verum illum promissum Messiam, revera in cruce non solum esse mortuum contrà *Muhammedanos*, aliosque *Docitas*, *ex Matt. XXVII.* 32. *Luc. XXIII.* 46. *XXIV.* 46. *Act. III.* 15. *XX.* 28. *Rom. IIX.* 32. *I. Cor. II.* 8 *Joseph. l.* 18. *Antiq. c.* 4. *Epist. Pilati ad Claud. Tib. Imperat. in monum.*

Patrum orthodoxographis pag. 2. &c. scimus; sed & eundem, pro peccatis totius mundi revera fuisse ἀντίλυτρον, contrà *eosdem* pariter ac *Socinianos*, vid. cit. *Es. LIII.* 4. *seqq. Dan. IX.* 24. ut & *Ioh. I.* 29. *VI.* 51. *Rom. IV.* 25. *V.* 8. 18 *seqq. XIV.* 26. *II. Cor. V.* 14. 15. *&c.* Quod ad fidei nostræ confirmationem adduxisse sufficiat. Cæterum in specie contrà infideles, si opus est, observandum (1.) tempore passionis Dominicæ maximā Jerosolymas, confluxisse hominum multitudinem, ob festum Paschatos juxta Dei mandatum *Exod. XXIII.* 17. *Deut. XVI.* 16. quos hujus spectaculi non fuisse incuriosos patet ex *Luca c. XXIV.* 18. Nec deportatione X. tribuum, hunc numerum ad summam paucitatem redactum fuisse, videre est ex *Josepho l.* 7. *bell. Jud. c.* 17. (2.) Nec verò voluisse Deum tot millium (taceo & Josephi Arimathensis, Christum sepelientis) oculos fascinare, patet ex interdicto ipsius Dei, in lege de ejusmodi præstigiis, *Lev. XIX.* 31. *Deut. XIIX.* 4. *&c.* (3.) Nec concordare veritati Dei, quòd ille tot seculis ante Muhammedem tot homines sineret esse بضلال مبين in manifesto errore: nec bonitati, quod passus sit Apostolos aliosque homines simplices & innocentes, saltem propter prædicationem tam absurdi auribus gentilium dogmatis, quod scilicet *Deus sit passus*, fieri ἐπιθανατίους καὶ θέατρα, mundo, angelis & hominibus, *I. Cor. IV.* 9. si sibi non constaret veritas & annunciationis necessitas.

CAPUT. III.

De DEO TRINUNO.

CONTROVERSIA PRIMA.

An una tantùm, An verò tres sint SS. divinitatis personæ?

Et

ET huic articulo, de Deo quàm maximè impias hic sacrilegus intulit manus. Et quidem primis temporibus seipsum apud Chadigam uxorem venditabat pro Messia, quē Judæi expectarent, ut est ap. *Enustinum in Geneal. Mahom. p. m.* 10. Immatura forsan videns hæc consilia, nec sibi tantam habens polliceri, ut quondam Barcocab (Vid. *Talmud.* נזיקין *fol.* 57. *Euseb. l.* 4, *c.* 6.) Judæorum multitudinem, veritusque ne sibi ob mendacium, non statua, sicuti Simoni Mago (juxta communē sententiam ex *Euf. l.* 2. c. 13. 14. *Tertul. Apol. c.* 13. *Aug. Catal. hæres. c.* 1. *&c.*) erigeretur, sed crux, mentem veterator revocavit. Se itaque Prophetam saltem esse dixit; credere verò jussit in eum الذي خلق السموات والارض وجعل *Qui cœlum creavit, & terram, quique terminos posuit* الظلمات والنور *tenebris & luci, &c.* Surat. الانعام seu *animalium*; quam And. de Ryer *Chapitre de gratificatione*, non ita apposite reddidit. Vere hoc quidem contra Koreisitos aliosque stupidos in Arabia Idololatras (de quibus *Hott. hist. Or. p.* 152. *seqq.*) asseruit: veruntamen, quando *eundem Deum, nec filium ab æterno genuisse, nec hunc generatum esse* ait, ut *Sur. CXXII.* illosque *infideles esse*, الذين قالوا ان الله ثالث ثلثة *qui dicunt Deum trinitate*, seu (ut Ecclesia orthodoxa loquitur) in personis *trinum*, Surat. V. & alibi frequentissime, detonat, omnium periculosissimè à veritatis via cum *Judæis* in barathrum erroris abit. Quorum & hoc nostro tempore leguntur vestigia, uti notum, *Sociniani.*

§. 2. Uti prius diximus, ita & h. l. cum *Judæis* ex V. T. uti e. g. *Gen. I.* 1. 2. 3. 26. *III.* 5. 22. *XI.* 7. *XIX.* 24. *XX.* 13. *XXXV.* 7. *Exod. III.* 15. *XX.* 5. *Num. VI.* 24. 25. 26. *Deut. VI.* 4. *Ps. II.* 8. 9. 10. *XXXIII.* 6. *LXVII.* 7. 8. *LXII.* 1. 17. *CXXXVI.* 2.

3. *Prov. XXX.* 4. *Es. XLIIX.* 15. 16. *Jer. XXIII.* 5. 6. *XXXIII.* 14. 16. *Os. I.* 7. *Zach. III.* 2. *&c. Socinianis* ex N. T. uti *Matth. III.* 17. *Joh. XIV.* 16. *I. Joh. V.* 7. aliisque locis disputari potest. Cum Muhammedanis verò, si opus est, quamdiu neutrũ integrè admittunt, nec volunt in has res inquiri, res est (ut monuimus) difficilior. Interim tamen quia *valde curiosi sunt, audire aliquid nostræ fidei*, ut ait *Richard. cap.* 2. *maximè de TRINITATE & incarnatione &c.* Et verò *contraria ea sunt Alcorano, quem illi constantissimè supponunt esse verbum Dei, adeòque illa non suscipiunt, sed derident:* potest & ex illorum principiis institui disputatio, vel legem illorum vanam esse, vel nostræ favere sententiæ, nolentemque volentem veritati præbere testimonium. Quod hic præstat idem, quod in conflictu cum Judæis, Rabbinorum suffragia, quibus contradicere, si vel maximè contraria dixerint, recutitis religio est. Observari itaque possunt Alcorani loca I. Ubi *de Deo loquitur pluraliter.* Quæ rara non sunt, sed ubivis fere obvia. v. g. Surat. Elimpacara introducitur Deus loquens: *Diximus Angelis, adorate Adam.* Hic non possunt intelligi angeli, simul cum Deo loquentes: ipsis enim adoratio hominis imperabatur, non verò eandem ipsi imperabant. Et sic in aliis. Vide (nam pergendum nobis est) *Cardinal. de Cusa l.* 2. *Cribrat. Alcor. c. II. Rich. c.* 15. *Fortal. Fidei l.* 4. *consid.* 8. *arg.* 5. Sed ejusmodi difficultatibus pressi, agedum quid respondent? (1.) *Summula brev. contra. sect. Sarac. Alcorano præfixa* refert, quòd Muhammedani binarium in divinitate constituant, *essentiam* scilicet *Dei* & ejus animam, hincque illam in Alkorano pluralem esse locutionem? Sed I. si ita: cur Christum negant Deum, cùm tamen animam Dei esse largiantur? II. Si vel concederetur, ut illi volunt, Deum animam habere: quæso, homines animam quoque habent, neque

neque tamen quisquam propterea pluraliter de se loquitur. (2.) *Alii* hanc locutionem volunt esse ob varia in Deo attributa, sapientiam, omnipotentiam, &c.? Sed Resp. I. attributa illa realiter à Deo non differre. II. Nec homines nec Angelos, in quibus attributa ab essentia differunt, ob illum respectum de se uno adhibere numerum pluralem. (3) *Lud. Viv pag.* 465. *l.* 4. *de* V. F. C. objicit in persona Muhammedani, id fieri ob morem magnatibus usitatum. Quæ appono, ut observetur, Judæos, Socinianos, omnesque Anti-Trinitarios eodem semper effugio uti, in eodem quippe ludo fictos: cui ludo, si qui sunt, Judæi Magistri sunt. Resp. verò, illum morem in sanctis literis inusitatum esse. Vide saltem *Gen. XIV.* 21. *XLI.* 15. *II. Sam. XIV.* 4. *II. Chron. XXXIII.* 23. *Ez. I.* 2. *Dan. II.* 8. 9. 26. *V.* 14. 16. *VI.* 27. oportet ergò hunc amanuensem Dei, uti videri vult Muhammedes, ex alia curia esse, quàm divina, cum ejus stilum non imitetur. (2) Magnates ita loqui possunt sine periculo erroris: non verò ita de Deo. Unde & Judæi comminiscuntur, Mosen cùm ad *Gen. I.* 26. נעשה אדם בצלמנו כדמותנו *FACIAMUS hominem ad imaginem NOSTRAM, secundum similitudinem NOSTRAM,* pervenisset, hæsitabundum diu substitisse, num pergeret in scribendo, ultimoque dixisse Deo: *cur occasionem præbes hominibus errandi in simplicissima tua essentia?* Sic & nos dicimus: cur occasionem præbes, Muhammedes, hominibus errandi, unam Dei personam introducendo loquentem ut plures? Qui si verus fuit, cur non plures nobiscum personas credunt: Sin falsus, cur ab ejus lege non recedunt? II. *Ubi expressam facit trium personarum mentionem.* Surat. النسا *de mulieribus: Jesus Christus, Apostolus Dei & Verbum Dei, quod misit ad Mariam, & spiritus de Deo.* Confer & quæ supra de

Chri-

Christo Salvatore nostro scripsimus. Sic & de Spiritu Sancto observari potest, quòd describatur ut persona in Alkorano. v. gr. ارسلنا اليها روحنا *MISIMUS ad eam Spiritum nostrum* : nota 1. Hic locus non potest exponi de Angelis, quia illi multi sunt. 2. hic Spiritus in humana specie apparuit, alloquens Mariam, dicens: انا رسول ربك لاهب لك غلاما id est, *Ego nuncius sum Domini tui, ut dem tibi puellum &c.* Vide *Surat. XXIX.* Ergò de attributo aliquo in Deo sine personalitate intelligi nequit. Quomodo autẽ se Beidavi; Kessæus, aliique infidelium torqueant, super hoc loco, vide *Hott. hist. Or. pag.* 95. Quæ objiciunt, aut communia cum cæteris Anti-Trinitariis, aut illis crassiora, ut e. gr. *Deum non filium habere, quia uxore careat &c.* Quibus Tricis & Apinis nos immorari nolumus. videantur, si placet, apud *Lud. Viv. lib. cit. de Ver. Fid. Hackspan. de Lege Muhammed. Cantacuzenum, alios.*

CONTROVERSIA II.

An DEUS sit incorporeus & infinitus?

§. 1.

NON addubitat hic nebulo, de DEO hoc inficiari. Quam sententiam ob absurditatem & impietatem suam vel in hoc omnium bipedum nequissimo non ausus fuissem credere, nisi me confirmassent omnes ferè, qui hujus sectæ meminere. Vide *Bibliand. in Apol. pro edit. Alcor. Pius Pontifex ad Turc. Principem pag.* 83. *seq. Lud. Vives lib. IV. de ver. fid. Chr. p. m. Hornb. summ. Controv. pag.* 209. *Schickardus in Deo Orbo Saracenorum p. m.* 4. *Pappus aliique.* Et patet res ipsa. Nam in fabulosissimo suo ascensu in cælos, quod fundamentum est (ut diximus) totius hujus Pseudoprophetiæ, nar-

narrat hic agyrta, *Deum non solum certo cœli loco inclusum esse, ad quem tandem per multos cœlorum labyrinthos devenerit*, sed *& manum Deo attribuit, quâ se tactum ait, adeò ut frigiditas manus Dei ad medullam dorsi sui pervenerit: insidere Deum gestatoriæ cuidam sellæ, quam octo Angeli validissimi, mundumq́ multis vicibus magnitudine excedentes, circumgestent, ut iis præ pondere igneus sudor exprimatur:* aliaque absurdiora, quibus volens abstineo. Et procul dubio ex *Audæanorum* seu *Anthropomorphitarum* lacunis hæc imbiberat. Hæc enim secta cum ob absurditatem suam facilè alibi non posset reperire sedem, ob monachorum ruditatem diu mansit in Arabia Scenitide & Ægypto; veluti feræ, ubi frequentia hominum non est, solent liberiùs stabulari.

§. 2. Nobis contrà certissima res est, quod *Deus sit Spiritus*, *Joh. IV. 24.* Spiritus autem non habet carnem & ossa, *Luc. XXIV. 39. Conf. I. Reg. IIX. 27. Ps. CXXXIX. 7. seqq. Jer. XXIII. 23. 24. &c.* Commune verò Anthropomorphitarum argumentum Theodorit. *l. 4. hist. Eccl. c.* 10 quòd homo *ad imaginem Dei* sit conditus, & quòd insuper *membra corporea* Deo in Scripturis attribuantur, solutu facillimum est. Neque enim imago Dei in corporis, sed perfectionis consistebat conformitate, *Eph. IV. 24.* Nec membra corporea DEO assignantur propriè, sed per ἀνθρωποπάθειαν & condescensum ad intellectum nostrum. *Conf. Joh. Damasc. L. I. Orthodox. fidei. C. XII.*

PARS TERTIA.

Continens

Cæteros Muhammedanorum errores juxta ordinem Locorum Theologicorum.

H Atque

Atque hi sunt errores Muhammedanorum principaliores, qui sequuntur, leviores quidem sunt, haut minori tamen nisu ab iisdem urgentur. Nobis tamen brevioribus nunc esse licebit. Nam cùm Muhammedana religio πανσπερμία quædam sectarum sit, seu quoddam (uti Theodoretus dialog. in re simili de Ebionitis loquitur) ὥσπερ τὸ τῶν προσαιτῶν ἐκ διαφόρων ῥακίων συναπτόμενον ἔσθημα, *vestimentum mendicorum, ex variis ac diversis panniculis consutum*: Nihilque *ferè novi Mohammedes invenerit, quod non in antiquis hæreticis damnatum sit*, uti ait Bibliander in cit. Apol.; imprimis autem in Judæis, cum quibus adeò quamplurima communia habet, ut *non erravisse mihi quispiam videatur*, secundùm autorem argumenti Cantacuzeni, *qui Mohammedis legem CONFUSUM CORRUPTUMque JUDAISMUM dixerit*: Nihil proinde nobis superesse videtur, quàm ut hujus Æsopicæ corniculæ pennas, cui remiges jam dudum in aliis hæreticis evulserunt nostrates, saltem ostendamus, & ad verbi divini lucem conferamus. Quæ collatio, suâ non caret utilitate. Vid. *B. Luth. in præfat. Alcor. Bibliander Apol. cit. Gvalterus Tigurinus in Epist. Nuncupat. Cantacuzeno præfixa*, aliique, quos taceo. Sequitur itaque.

ARTICULUS PRIMUS.

DE CREATIONE.

§. I.

De *Creatione* mira mire Muhammedani fabulantur. I. enim excludunt à causa efficiente, ceu *Sociniani*, Filium & Sp. S. Contra *Gen. l. 2. Joh. l. 3. Ps.* 33. 6. *Col. l. 16. Prov.* 8. 22. Quem errorem in singulis ferè semper dehinc locis obvium, semel notasse sufficiat.

§. 2. In colloq. cum Abdia dicit Muhammedes, Deum prin-

principio creasse, & quidem sua ipsius manu, Pennam, Adamum, thronum Dei & Paradisum. Pennam quidem, ut consignet omnia quæ sunt, quæque fiunt: fingiturque ea 500. annorum itineris, longitudinis 800. &c. vid. l. c. Atque sic Mosi contradicit statim in limine, qui dicit, *in principio creasse Deum cœlum & terram.* Similia habent Judæi. Targum Jerus. ad *c. 3. Gen. Bis mille annis ante mundum conditum* ברא אוריתא ואתקן גהנם וגנתא רעתן *creavit Deus legem, & ordinavit infernum, & paradisum.* Talmud. שבעה דברים נבראו קודם שנברא העולם ואלו הן תורה ותשובה וגן וגיהנם וכסה הכבוד ובית המקדש ושמו של משיח *Septem res creatæ sunt prius, quam mundus conderetur, nempe hæ: Lex (Prov. 9. 22.) Pœnitentia (Psal. 90. 2.) Paradisus (Gen. 2. 8.) Gehenna (Es. 30. 33.) Solium gloriæ (Ps. 93. 2.) domus Sanctuarii (Jer. 17. 12.) Nomen Messiæ (Ps. 72. 17.)* Hic nota vafriciem Muhammedis (qui loco nominis Messiæ, suum substituit, uti diximus suprà *part. 2. c. 1. Controv. 2. §. 3.) Conf. Buxtorf. Lex. pag. 462. P. Galat. de Arcan. Cath. Verit. l. 3. c. 5. l. 7. c. 1.* Quod, saltem ex parte (procul dubio affricuerant optimo Patri B. Hieronymo Præceptores ejus Judæi, quibus se usum esse fatetur *in Epist. I. ad Rusticum Monachum, Præfat. in Dan. Epist. consolat. ad Pammachium,)* ut *in quæst. seu Tradit. Heb. in Gen.* hac de Paradisi ante mundum creatione sententiam, retineret. Hincq; ex eo *Hieronymi* loco Francisc. Georg Minorita probare nititur, *Paradisum* non in hac visibili terra extitisse. Vid. *& lib. 4. Ester. c. 3 6.*

§. 3. De Æonibus Valentini, de quibus *August. ad Quodvult. c. XI. Iren. l. 1. contr. hæres. c. I. Tertull. de Præscript. c. 49.* audisse videtur, cum de ortu rerum in eod. colloq. ita garrit: *Deus Adam fecit ex limo: limus autem erat de spuma, spuma de procellis, procellæ de mari, mare de tenebris,*

tenebræ de luce, lux de verbo, verbum de cognitione, cognitio de Jacintho, Jacinthus de præcepto: esto & fuit. Ad quæ Widmestadius: *Jacinthum vocat supremam sapientiam & speculum Dei æternum; verbum autem sapientiam inferiorem & speculum obscurum. Hinc Ariani à JUDÆIS nimirum decepti, hæresis suæ ansam arripuerunt.* Atque hinc puto esse, quòd Pappus aliique Muhammedi tribuant Valentini opinionem de creatione. Cætera si simpliciter sint intelligenda, absurditate sua facilè se ipsa conficiunt, & refutata sunt à Lud. Viv. *l. cit. de verit. Fidei Christ. pag.* 468. Similes næniæ occurrunt & in Theogonia Hesiodi ac aliis Poetis de rerum ortu.

§. 4. Cœlos dicit in *cit. colloq.* ex fumo creatos esse. Eosque cum Judæis facit septem Sur. 2. 51. 77. &c. Kesſæus *in vit. Pat. pag.* 14. 15. Uti & inferni receptacula totidem cum iisdem facit. Vide *hist. Timuri pag.* 50. *Kess. p.* 16. *Beidavi comment. in Alkor. p.* 241. *&c.*

§. 5. Imprimis autem notatu dignum est, quòd non omnia bona esse creata doceat, contra *Gen. l.* 31. &c. Nam Diabolum من نار السموم *ex igne pestilenti*, juxta cum Judæis, (Vid. *lib. Nizz. p.* 5.) creatum adserit *Sur.* 25. 27. 41. *&c.* Et in hominis plasmatione, Deum pulverem ait collegisse multicollorem pugno suo, indeque quædam hominis individua ex albedine, quædam ex nigredine, quædam de colore medio; quædam itidem de malicia quædam de bonitate participasse. Vide *Chron. Sarac. pag.* 21?. & *Lud. Vivem l. c.* id refutandem. Sicque hac in parte accedit ad *Manichæos* & *Priscillianistas.* Vid. *Aug. de nat. boni adv. Manich. c.* 33. *Concil. Bracar. Canon.* 7. *Leo Epist.* 42. Sic *Menasse Ben. Israel l.* 2. *de resurrect. c.* 2. affirmat, Deum ex purissima materia decem spiritus ספירות seu luces divinas (de quibus *Reuchl. l.* 3. *cabbal. pag.* 734.) & ex impuriori

alios

alios decem, קליפות ſeu *putamina* dictos creaſſe; idque refert è libro antiquisſimo *Zohar*.

§. 6. Cum iisdem Manichæis, (inter quos & Muhammedannos collationem inſtituit Danæus ad Aug. ep. ad Quodvult. fol. 118. b.) & Priſcillianiſtis, itemque *Gnoſticis*. Vid. *Concil. Bracar. can.* 5. *Auguſt. de hæreſ. cap.* 46. & 70. *Epiſt.* 74. *ad Deuter.* & 25. *ad Hieron. Leo Epiſt.* 91. *c.* 5. *ad Turbium*, abſurde ſtatuit, animam humanam divinæ eſſentiæ eſſe portionem. Surat. 25. cujus ſententiæ juxta Irenæum *lib. I. contr. hæſ. c.* 24. primus autor fuiſſe dicitur *Carpocrates*.

ARTICULUS SECUNDUS.
DE ANGELIS.

§. 1.

Nec minùs de Angelis multa ridicula & abſona deblaterat. Et primò quidem ratione eſſentiæ non Spiritus, ſed corpora eſſe fingit. Videatur aſcenſus Muhammedis in cœlum, *in Fortalit. Fidei l. c.* ubi non angelos, ſed monſtra deſcripta ab eo dices, alios enim cornibus, alios multis capitibus, alios mole ipſa totum mundum excedente, ſtupendos, vidiſſe ſe refert; quæ vel horrorem legentibus incutere poſſunt. Unde *Sur. XLIIX.* Deum facit Jobo, de removendo Satana anxiè eum ſollicitanti, reſpondentem: اركض برجلك *pede eum à te repelle.* Quod ſi ita repelli poteſt Satanas, corporeum, ſatisque compactum & ſuffarcinatum eſſe oportet. Etiam *Judæos* angelos, ſaltim quoſdam, corporeos eſſe exiſtimare, monent Hornbeck *l. 4. de Convinc. Judæis c. I. pag.* 304. *ſeqq. Ludov. de Dieu in annot. ad Pſal.* 68. *Grotius ad Pſ.* 104. Quod & olim cenſuiſſe *Pythagoricos* & *Platonicos*, refert Leonhardus Coquæus *Comment. ad l.* 8. *Auguſt. de Civ. Dei c.* 15. Ex iisque

que, uti multa alia, hausit *Origines p.* 11. *περὶ ἀρχῶν c.* 6. 8. Et ex hoc rursus aliis *nonnulli Patrum*, adeò ut vel etiamnum ex *Christianis* non desint, qui sibi de cœlestibus hisce Spiritibus materiale quid imaginantur. Ceu notat Dn. D. Calov. *Tom.* 4. *Syst. Theol. p.* 33. *seqq. & in Armin. p.* 142. Quibus meritò opponimus *verba S. S. Ps. CIV.* 4. *Matth. IIX.* 16. *Marc. V.* 9. *Eph. II.* 2. *Heb. I.* 14.

§. 2. Ex hoc quoque principio fluit, quòd cum iisdem *Origenianis*, *Manichæis*, *Archonticis*, *Sethianis*, statuit angelos generare posse. Vid. *August. contra Secund. C. II. Lamb. Danæus ad August. de hæres. pag.* 55. *Epiphan. hær.* 40. *pag.* 246. Nota enim est fabula de duobus angelis هاروت, ماروت, *à Deo emissis*, qui ebrii noctem hospitæ petierint. Vid. *Theol. Machom. Hornb. summ. Controv. pag.* 165. Unde & partûs Dæmonum fit in Epitome Alkorani mentio: ad quem locum Widmestadius annotat, hanc Manetis & veterum Poetarum sententiam, Pseudo-Prophetam suis proposuisse credendam. Etiam huic absurdæ opinioni obstetricati *Judæi* sunt. Notum enim est, quid habeat Jalkut *ad* 2. *Sam.* 7. 14. כל מאה ושלשים שנה שפירשה חוה מאדם ריחות זכרות היו מתחממים ממנה והיא יולדת מהם. ירוחות נקבות היו מתחממות מאדם והיו יולדות ממנו: *Omnibus centum & triginta annis illis, quibus Eva separata ab Adamo vixit, rem habuit cum spiritibus masculis, ipsiq; sobole ab illa aucti sunt: Sic quoque Spiritus famellæ, ex Adamo conceperunt pepereruntq́.* Confer בראשית רבה *sect.* 20. 24. R. Salomon Jarchi in *Ps.* 89. 33. Talmud. Masech. עירובין *c.* 2. *Chagiga c.* 2. עין ישראל *pag.* 80. פירוש *in Paraph. Chald. ad Gen. c. IV.* 1. Censent verò Judæi, Angelis de cœlo descendentibus aliam rationem esse, quàm ibi manentibus: tum enim eis תאוה לאכילה appetitum cibi innasci, & aërem hunc inferiorem concupiscentiam

pra-

pravam gignere dicunt. Vid. R. Lipmannus *n.* 23 *p.m.* 20. Hinc orta & quæstio est in Alkorano *Sur. LIII. & LXIII. An Angeli sexu differant?* imposuit verò multis ex *antiquis* tale quid sentiendi, locus *Gen. VI.* 1. malè intellectus. Vid. *Joseph. l. 1. Antiq. cap. 4. Philo Judæus lib. de gigantibus, Justinus Martyr Apol. I. Irenæus l. 4 c. 7. Clemens Alex. l. 3. Strom. Tertull. de velandis Virginibus, Lactantius l. 2. c. 14.* tum etiam è *recentioribus Burgensis in cap. 6. Genes. Vales. de sacr. Philosoph. c. 8. Cajetanus, Delrio, Franciscus Georg. Venetus t. 1. sect. 1. probl. 54. aliiq.*

§. 3. Ex eadem Muhammedica fabula, quam modo ex Hornbekio citavimus, de Angelis ebriis, & scelus contra hospitam meditantibus, colligere est, eos fovere eam opinionem, quæ aliàs in *Arminianis* taxatur, sc. Angelos bonos non ita in veritate confirmatos esse, ut jam ampliùs non possint labi. Vide *Armin. ad art.* 31. *Grot. annot. ad Gal. I.* 18. Præcentor verò utrisque fuit *Origenes*. Vid. is in *Hom.* 13. *in Lucam.* contra *Matth. XIIX.* 10. *I. Tim. V.* 21. *II. Cor. XI.* 14. *Gal. I. 8. &c.*

§. 4. Vice versa, cum iisdem *Origenianis* (Nam *Origenem* ipsum excusat hac in parte B. D. Gerhard. loc. *de morte* §. 62.) aliisque nonnullis Veterum, Angelos malos tandem ad frugem redituros, adeòque pœnâ liberandos, & salutem consecutos garrit. Vide *Cantacuz. Orat. II.* prope finem *Oratione 4. num. 2. Richard cap. 8. de Dæmonibus.* Quem errorem resuscitasse patrum nostrûm memoria *Anabaptistas* refert Bulling. *l.* 2. contra eosd. *c.* 15. nostr. v. idem statuisse *Socinianos*, constat ex *Crell. comment. in I. Cor. XV. p.* 103. 1. 3. 222. 1. 30. licet illam liberationem aliâ ratione fieri censeant, scilicet per redactionem in nihilum. Contra *Matth. XXV.* 41. *Hebr. II.* 16. *Judæ v.* 6 *Apocal. XX.* 10. Imo & multos ex malis Angelis post Christi in carnem

adven-

adventum pœnitentiam egisse, statuit *Enjedinus*. Vide B. Gerh. *in Dispp. Acad. p. 633. seqq.*

§. 5. Causam lapsus Angelorum, è Talmudicis fabulis itidem hausit. Nam Adamum seorsim fingit à Deo edoctum omnium rerum nomenclaturam, eundemque in arenam disputandi causa cum angelis, eductum: qui cum ejus Sapientiæ pares non essent, omnes Adamum à Deo adorare jussos esse: paruisseque (ابليس) id est, *Diabolo* (unde deflexit Arabica vox (seu Beelzebub excepto, eo quod is ex igne homo (.طين) (.مسن) ex luto conditus esset. Quod commentum, ut rem magni pretii, Sur. 2. 17. 48. & passim, ob causam nescio quam, inculcat. *Lud. Vives* lib. cit. pag. 470. ut & *Bibliander*, ex mentione introductionis primogeniti, idest, Christi εἰς τὴν οἰκουμένην in Epist. ad Heb. I, 6. occasionem fabulandi arreptam suspicantur, *P. Galatinus de A. C. V. l. 7. c. 4. p. 354.* hanc traditionem antiquam producit ex R. Mose Hadarsan in *cap. V. Gen.* Eodem plane sensu, ac in Alkorano refertur: Verùm Galatinus hanc adorationem, non tam propter Adamum imperatam esse vult, quàm propter materiam Matris Messiæ; quæ materia ab initio statim producta & Adæ inserta, sine labe peccati originalis emanârit usque ad Jojakimum, B. Mariæ patrem. De Satana autem hanc venerationem negligente, dictum volunt illud *Es. XIV.* 12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* Quem locum de Rege Babyloniæ agentem, explicantu de Lucifero Angelo, nonnulli etiam Veteres, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Athanasius &c.* De reliquo autem tentamine Angelorum in imponendis singulis rebus nominibus, quodque id nequierint Angeli, potuerit verò Adam; eandem ferè habes fabulam in *Jalkut ad cap. I. lib. I. Chronicorum.*

ART.

ARTICULUS III.
DE PROVIDENTIA DEI.

§. 1.

De *Providentia*, ait B. Chemnitius in Loc. part. 1. p. m. 120. *ſumus vel Stoici, vel Epicurei.* Hic verò Vertumnus utrisque favere videtur: unde & ſectatores reliquit, in diverſas partes abeuntes. Vid. *Hotting. hiſt. Or. l. 2. c. 6.* imprimis *pag. 353. & ſeqq.* Aliquando enim dicit, *fortuita eſſe, quæ hìc in terris geruntur, nec curare de his Deum*, ut Morbiſano Turcarum Principi objectat Pius Pontifex in Epiſtola, quam citavimus, pag. m. 73. & 84. Et hinc eſt, quod tradit Muhammedes, Deum ſibi dixiſſe, ὡς παιδιᾶς χάριν, ſaltim luſûs causâ hominem condiderit; partim ut oſtenderet, Deum non magni æſtimare hominum ſalutem, partim ut Salvatoris noſtri incarnationem ſugillaret. *Cantacuz. Orat. 2. n.* 11. Et hoc eſſe puto, quod B. Pappus, aliiq; ſaltem generalem Dei providentiam dicant Muhammedanos largiri; nullam verò aut exiguam ſingularium, quem etiam errorem ex Averrois Arabis mamillis ſuxiſſe videtur Socinus, juxta *B. Gerh. Diſp. Iſag. p. 661.* & veſtigia extant in Alkor. Epitome: *Deus cœlum columnis viſibilibus minimè fulcitum extulit, deinceps ipſe thronum aſcendens, Solem & Lunam moveri juſſit ad ſtatutum terminum.* Negat ergò concurſum Dei cum cauſis ſecundis, & num. 59. *Deus cœlum & terram ſex diebus abſolvit, poſtea cœlum aſcendit &c.*

§. 2. Sæpius tamen ſui oblitus, *Stoicam* quandam neceſſitatem introducit. Vid. *Cribrat. Alkor. Nic. de Cuſa l. 3. c. 7.* Et hoc fortè à *Manichæis* habuit, de quibus vid. *Tertull. lib. de anima c. 21. F. Prateol. hæreſ. l. 11. n. 6.* vel à Præceptore ſuo Judæo, Bar Selon, Aſtrologo, Vid. Danæus *l. c. p. 237.* Unde cum Muazzudaulæ, Halebi Domino, ſervus per incuriam epiſtomium gutturnii in dentes impegiſſet, ut unus

ex iis decideret, non moleste id tulit, sed dixit. *Decreto Dei hoc accudisse, ejusque providentia.* Hincque vitæ terminum adeò fatalem constituunt, ut nec anteverti possit, nec prolongari. contra *Exod.* 20.12. *Vid. Levin. VVarnerus in dissertat. de vitæ termino p.* 11.12.13.15.16.17. *Busbeqvius Epist.* 4. *Leg Turc.*

§. 3. Fieri proinde vix potest, quin plerique Deum causam faciant peccati, nec non Electionis & reprobationis decretum ex solo absolutoque Dei decreto suspendant. In *Libro Boari*, referente Io. Galensi Anglo, ordinis Minorum, Parisiensi Doctore, qui ob longævitatem *arbor-vitæ* dictus est, habetur *cap. de Prædest. Deus scripsit super hominem partem suam de luxuria, & necessario debet sequi illam partem.* Sic in Epitome Alkorani, quem Latinè reddidit Robertus Ketenensis Anglus, *num.* 42. *Quos Deus ad benè agendum præscripsit, evitare non poterunt, quin benè agant. Quos verò Deus corde sigillavit, inevitabiliter errabunt.* Confer in Alkorano ipso *Sur.* 2.15.20.68. *&c.* Et in *citat. Epitom. num.* 67. *Si vellemus, CUIQUE gentium bonam viam & rectam daremus, sed jam verbum nostrum firmatum est, ut infernus Dæmonum & hominum consortio penitus impleatur.* Ad quæ verba sæpius citatus Albertus Widmestadius: *Nullus unquam tyrannus carcerem exædificavit eo animo, ut vinctorum numero compleret, sed potiùs ut malè meritos ulcisceretur. Muhammedes autem hanc crudelitatem Deo inesse affirmat.* Cui Muhammedi, omnibusque aliquâ ratione cum eo sentientibus, opponimus clarissima Spiritus sancti dicta. *Ps.* 5.5. *Zach.* 8.17. *Deut.* 5.16. *Eccles.* 15.21.1. *Johan.* 2.16.3. *Tom.* 2.4. *Hos.* 13.9. *Prov.* 1.24. *Matth.* 23.37. *Act.* 17.30.31. *Rom.* 5.18.19. *&c.*

ARTIAULUS IV.
DE IMAGINE DEI IN HOMINE.

De imagine Dei in homine, quænam sit Muhàmmedis sententia, non ita liquet. Ad similitudinem Dei, hominẽ crea-

creatum esse, innuere videtur, quando v.g. in Sur. سورة بقر seu *Vaccæ*, refert, Deum dixisse Angelis, *se hominem* خليفة *Chalifam* seu *Vicarium suum in terris instituturum*; unde & interpres Latinus ita h. l. vertit: *Angelis intimamus facturum sui similem in terra.* Cæterùm hoc nomen *Chalifa*, substitutum, successorem, proregem, legatum (*Gall. un vicarie, Lieutenant* &c.) denotat. Unde & Muhammedis in Imperio & religione successores, *Chalifæ* dicuntur: & in Alkorano: يا داود انا جعلناك خليفة في الارض *ô David, utique nos te Chalifam*, (id est, regem & potentem hominem,) *in orbe constituimus*. Videtur itaque originatio vocis eò nos deducere, ut suspicemur, impostorem putasse, similitudinem illam, qua homo Deum referebat, constitisse in externo dominio in creaturas: & confirmat hanc opinionem subjuncta Angelorum responsio: اتجعل فيها من يفسد فيها ويسفك الدما ونحن نسبح بحمدك ونقدس لك id est, juxta interpretationem CL. Præceptoris Ravii (in Edit. *quorundam Capp. Alcor. Ambstelodami Anno* 1646. *procuratâ*:) *An pones ipse eum, qui perdet eam, & effundat sanguines, cum nos contrà extollamus, prædicemus laudem tuam, & sanctificemus Te.* Quicquid sit: sive hæc ejus fuerit opinio de imagine Dei in homine, uti & sentiunt hodieque *Sociniani* & *Arminiani*, sive collocârit eam in hominis substantia, veluti typi, antitypi sui similitudinem exprimentis, ut & cæteri *Anthropomorphitæ*, Vid. *Theod. loc. antea cit. l.* 4. *sc. hist. Eccl. cap.* 10. ex multis tamen indiciis certum est, eum vel ignorasse vel negasse hominem primum in justitia & sanctitate veritatis conditum esse. contra *Eph. IV.* 24. *Col. III.* 10. *II. Corinth. III.* 18. *&c.*

ARTIC. V.
DE PECCATO.

§. I.

MAgnum illum Adamum in summa divinitatis arce collocatũ, abdita ratione mortalibusque incognita, docere audent insolentes Judæi, quorũ vestigia insequitur Muhammedes, ait Widmestad. *not.* 13. *ad Epit. Alcor.* Non in hac itaque terra, sed exrta eandem paradisum fuisse opinatur. Cujus opinionis insimulat ex veteribus *Origenem* Epiphanius in Epistola ad Johannem Jerosolymorum Episcopum p. m. 1103. quasi is in tertio cœlo eundem collocarit, & arbores ejus non nisi allegoricè de angelicis virtutibus exposuerit? defendit verò Sixtus Senensis *lib.* 5. *Biblioth. Sacr. annot.* 33. Hunc errorem quoad prius membrum revocavit *Franciscus Georg. tom.* I. *problem.* cujus argumenta vid. apud eundem Senensem *lib. cit. annot. seq.* contra *Gen. II.* 8. *seqq. III.* 6.

§. 2. De Peccato Originali quid sentiant Muhammedani, cum *Franciscanis* lis est. Hi enim, ut immaculatam B. Virginis conceptionem tueri possint, etiam Alcoranum in auxilium vocant, notante Andrea Riveto *in Apol. pro S. Mar. Virg. c.* 18. *l.* 1. *p.* 146. vid. & *P. Galat. de arcan. l.* 7. *c.* 5. Verùm in hoc scipione Ægypti parum auxilii est. Non enim solùm Beatam Domini. Matrẽ, verùm etiam omnes omninò homines à peccato originali, quantum in se est, Muhammedes absolvit, idque inanes fabulas esse ducit, (ut ait B. noster *Luth.* in præf. Alcorani) contra sacram Scripturam, *Gen. VI.* 5. *IIX.* 25. *Job. XIV.* 4. *XV.* 14. 16. *Ps. LI.* 6. *Joh. III.* 5. *Rom. X.* 12. *&c.* Sunt quidem nonnulla in Alcorano loca, quæ satis clare de corruptione generis humani loquuntur: sed non sequitur, eadem mox peccatum originale introducere. Nám de illa, scilicet generis humani depravatione & pronitate in malum, satis quoque clarè Ethnici, *v.g. Plato l.* 2. *de rep. Cic.* 2. *Tusc. Plotinus l.* 1. *Enne ad.* 5. *c.* 1. & alii; quin & ex

natura-

naturali lumine concupiſcentiam forte actualem peccatū eſſe ſciverunt: concupiſcentiam tamen originalem & ortum hujus mali neſciverunt, juxta *Rom. VII.* 7. Hinc & *Beidavi* Muhammedanus hanc deformitatem non ex reatu primorum parentum, ſed ex contactu Satanæ tempore demum nativitatis oriri, ait: contra ac B. Ambroſius in Apolog. David. c. II. *ANTEQUAM NASCIMUR, maculamur contagio: antequam USURAM lucis, originis ipſius excipimus injuriam.* Ab hoc itaque ſaltem contactu Satanæ, Mariam & Chriſtum ſingulari privilegio exemptos volunt Muhammedani; & præterea B. Mariam à convitiis quoque illis, quibus Judæi innocentem virginem onerabant, onerantque, omnimode puram: non verò à peccato originali quod non ſolùm in Maria, ſed in omnibus omninò hominibus negant. Vid. *Abimed. p.* 153. *Hott. hiſt. Or. l.* 1. *c.* 3. Sic & infantibus ſuis recens natis metuunt à Spectro quodam לירית ipſi *Judæi*, neque tamen moderni admittunt p. o.

§. 3. Et ſicuti Judæi peccata in חמורות & קלות *gravia & levia*, quemadmodum & *Phariſæi* præcepta in magna & parva, diſtinguunt: ita & Muhammedani eâdem peccatorum diſtinctione utuntur, in كبابر ſcilic. وصغاير *gravia & levia. Illa* per pœnitentiam, id eſt, per bona opera & preces cum *Meſſalianis* & *Euchetis* condonari ajunt: *hæc* ſaltem per evitationem majorum; quaſi & levia illa ſua natura mortalia non eſſent; contra *Matth. I. c. XII.* 35. *Deut. XXVII.* 26. Rurſus autem cum *Novatianis*, (*Euſeb. l.* 7. *hiſt. Eccl. c.* 8.) & modernis *Socinianis* docent: Deum gratiæ oſtiū ſic occludere, ut prorſus nulla veniæ aut miſericordiæ divinæ recuperandæ ſpes ſit, contra *Eſ. I.* 16. 17. *Ez. XVIII.* 23. *XXXIII.* 11. *Matth. XI.* 27. *Joh. I.* 29. *III.* 16. 1. *Pet. III.* 9. *II.* 1. 2. *&c.* Quænam autem peccata ea ſint, non definitur: unum tamen eorum eſt ان يشرك به *Si quis Deo ſocium*,

 id eſt,

id eſt, filium aſſignarit. Audiſſe impoſtorem vult *Lud. Viv. l.c.p.*465. aliquid de peccato in Spiritum ſanctum ex *Matth. XII.*30. *Heb. VI.* 4. *ſeqq. X.* 26. *I. Joh. V.* 16. indeque factam errori originem.

ARTIC. VI.
DE LIBERO ARBITRIO.
§. I.

LAbefactatâ ita verâ doctrinâ de providentia divina, & peccato originali, non poſſunt de viribus humanis in ſpiritualibus, rectè ſentire. Unde & in diverſa abeunt; eodem ducti, quo Muhammedes Spiritu vertiginis. Vid. ſupra Artic. 3. §. 1. 2. Sunt prætereà quidam inter eos, *Gjabræi*, à جبر hoc eſt, *vicit, ſuperavit, coëgit*, ſic dicti, quod nullam prorſus homini eſſe libertatem contendant, ſed eundem cogi à Deo in quibusvis dictis & factis, tam bonis, quàm malis. Contra *Num. XXX.* 14. *II. Sam. XXIV.* 12. *I. Reg. III.* 5. 11. *Act. V.* 4. *Rom. I.* 16. 32. *II.* 14. 15. *I. Cor. X.* 1. *ſeqq. &c.* His oppoſiti ſunt alii, *Kadrei* à قدر *potuit, prævaluit*, quaſi *Potentiarii* dicti, quòd homini αὐτεξούσιον & abſolutum quoddam dominium tribuant, tam benè quàm malè agendi: uti & المعتزلة *Motazalitæ, Phariſæi & Separati*, qui & hominem poteſtatem habere ajunt ſequi quantum velit in lege, præcepta, interdicta, retributionem bonam, pœnam, &c. Item *Hanifæi, Czofilar* ſeu *Meditativi*, & plerique omnes. Commune enim *Juſtitiariorum* omnium eſt vitium, ſanam Eccleſiæ ſententiam de libero Arbitrio evertere. Quæ quænam ſit, à Noſtratibus abunde demonſtratum eſt. Nos hac vice ſaltem opponimus *Joh. VI.* 44. *XV.* 5. *I. Cor. XII.* 3. *Phil. I.* 6. *&c.* Cæterùm de Schiſmatibus & hæreſibus Muhammedanorum videri poſſunt *Hott. hiſt. Or. L.* 2. *cap.* 6. *Septem-Caſtr. c.* 20. *Ennſtinus de geneal. Muhammed. c.* 40.

ARTI

ARTICULUS VII.
DE LEGE.
§. I.

DE lege Dei gravissimos fovet errores. Primò enim contra expressa mandata Dei, *Dan. IX.* 27. *Act. X.* 11. *XV.* 9. *seqq. Gal. II.* 13 *IV.* 10. *seqq. V.* 1. *Heb. VII.* 12. *seqq. IIX.* 8. *seqq. X.* 1. &c. in Judæorum gratiam ex lege ceremoniali plurima, vel servat, vel nova ad ejus formam instituit. Et I. quidem ritibus *publicis*, quantum (α.) ad *res*, servat adhuc Vet. Test. *Sacramenta*, circumcisionem & agnum paschalem, ut mox dicetur: item *Sacrificia*, Vid. מסעות *R. Benjamin. pag.* 68. *Joh. And. Confus. Sect. Muham. pag.* 18. *Sionit. de morib. Orient.* 35 *seq.* Unde decimum diem ultimi mensis الحجة vocant يوم الأضحى *diem Sacrificiorum*, vel عيد الأضحى *Festum Sacrificiorum:* ubi in magna copia, arietes, capræ, oves mactantur, talesque mactatas pecudes in extremo judicio affuturas & pro dominis intercessuras, miseri credunt. Quidam verò non propriè hæc Sacrificia, sed tale quid, quod veterum ἀγάπαις respondeat, esse autumant, ut *L' Empereur ad Itiner. Benjam. pag.* 187. & alii. *(β) quoad locum.* Ad imitationem enim *templi Hierosolymitani* hic instituit suum Meccanum, ab Angelis si credere fas est, ædificatum & ab Abrahamo summâ veneratione cultum. Vid. *Hornbek. Sum. Contr. pag.* 151. *& seqq. Sur. VI.* illucque Sacras רגלים *peregrinationes. ib. p.* 160. uti & قبلة (.عبد *Observationem faciei* inter orandum, idque ad centrum ejusdem fani, ad χαχοζηλίαν *I. Reg. IIX.* 48. *Dan. VI.* 10 si exaudiri velint, sanxit. (γ) *Tempora Sacra.* Eaque vel *hebdomadaria*; ut diem Veneris, loco Sabbathi Judæorum, & diei Dominicæ Christianorum. Idque, vel quia Veneris cultor olim fuerat, vid. *autor de hær. Heraclii ac princ. & lege Muham. p.* 14. vel quia natus imò,

& Rex

& Rex eo die declaratus sit, vel quia alia peculiaria ejus diei sint. *Hornb. p.* 156. *Fortal. Fid. fol.* 211. *a.* vel *Anniversaria*, uti est, v. g. Jejunium illud magnum (رمضان, *Ramadan*, quo integri mensis decimi, dies quidem in orationibus, jejuniis & jejuniorum (ut vocant) aliis, eleemosynis exigunt, noctes verò in amplexibus, comessationibus & tripudiis. vid. quæ scripsimus *part.* 1. *c.* 2. §. 19. Quod festum, Judæorum כפורים seu expiationum, de quo vid. *Synagog. Jud. Buxtorf. p.* 367. vel, ut Pontificii Scriptores ipsi volunt, suæ quadragesimæ, respondet. Hunc *afflictionum* mensem excipit festum Paschale triduanum, quod illi *Ulubairam* vocant. Tunc enim, non in memoriam agni paschalis pro nobis mactati, *I. Cor. V.* 7. id est, Christi, sed arietis illius, quem Abrahamus loco Ismaelis (ita enim illi pervertunt *Gen. XXII.* 13.) obtulit, multos arietes mactant. Imprimis verò Sultanus ipse, linteo præcinctus, arietē aliquem egregium transfigit: quem equo impositum ad Reginam quàm ocyssime deferendum curat, hunc, quòd si illa vivum adhuc videre contigerit, illud felix totius anni omen interpretantur. Hastiludiis deinde reliquum festum peragunt & pergræcationibus: Imprimis autem nocte illa, qua Alkoranum de cœlo descendisse credunt, in Meskitis suis, id est, templis (à سجد *adoravit*, quod & in Bibliis nostris Hebraicis *Es. XLIV.* 15. 17. 19. *XLV.* 5. in eadem significatione occurrit) pervigiles garriunt, potant, lymphatique discurrunt. Sexagesimo ab hoc die celebrant aliud festum minus, *Religiosorum* dictum, id est, eorum, qui religionis causa Meccam ad sepulchrum Pseudo-Prophetæ proficiscuntur. Vid. *Sur. II. LVII.* &c. Atque hæc de ritibus ad modum legis abrogatæ ceremonialis, publicis. De quibus Jehova, *Matth. XV.* 9. dicit: *frustra colunt me, docentes mandata hominum.* Et:

num

num tale jejunium erit; אֶבְחָרֵהוּ quod ego elegi, *Ef. LIIX.* 5. & *feqq.* *Conf. Ef. I*, 11. 12. 13. *XXIX.* 13. *Jer. VI.* 20. *Amos V.* 21. *feqq.* *Mich. VI.* 6. 7. *Zach. VII.* 5. 6. 7. &c.

§. 2. At verò quantum ad *privatos ritus*: è Judaiſmo traduxit I. *Varias Species lotionum*, quarum alía *politica*, eſt, quâ poſt alvum aut veſicam levatam utuntur: alia *ſacra* & *expiatoria*. Ab eaque una minor *Abdam* vel *Abdas* dicta, in qua Meskitas ſuas ingreſſuri, vel aliàs Orationibus vacaturi, frigidâ, quinque potiſſimum organa ſenſuum abluunt; aut aquâ deficiente, χώματι i. e. humo foſſitia, arenâve eadem defricant, quod Arabes *Tajammam* vocant. Facit hæc ad levium delictorum remiſſionem. Altera *Major*, qua totum corp9 & ſingula membra operoſiſſime abluuntur, imò ungues præſecantur, & pili (ne quid ſordium inhæreat) penitus abraduntur; exceptis iis, quæ ad ornatum faciunt, ut barbâ in viris, comâ in mulieribus. Et hanc in gravium peccatorum expiationem inſtituunt. Vid. *Sur. IX. XII. XIX.* *Cotov. Itin. pag.* 344. *Septem-Caſtr. c. XIII.* Similia de *Judæis*, apud Buxt. in Synag. Jud. *cap.* 4. *pag.* 127. & imprimis de eorũ ſecta, *Hemerobaptiſtis*, apud *Epiph.* contra *hæres. l.* 1. *Tom. I. c.* 17. *Damaſc. de hæres. p.* 457. Contra *Heb. IX.* 13. 14. *c. X.* 22. Eph. VI. 5. è Ritibus privatis obſervat II. *Diſcrimen ciborum*. De quo Surat. Bacara ita: *Prohibetur vobis* الميتة *morticinum* والدم *& ſanguis*, ولحم الخنزير *& porcina*, وما اهل به لغير الله *&* εἰδωλόθυτα (ad verbum: *& ſuper quod laudes dictæ ſunt aliis, quàm Deo.*) والمنخنقة *& ſuffocatum* والموقوذة *& ambuſtum* (forſitan rectiùs, *de cœlo tactum*) والمتردية & *projectitium*, والنطيحة *& cornu percuſſum*, وما اكل السبع *& de quo quodcunque decerpſit fera.* Hæc ex Levitico deſumta, à Judæis etiamnum obſervari, dubium non eſt. Cæterùm ſcrupulum hîc injicit Locus, *Act. XV.* 28. ubi Idolothytis, ſan-

guinē & suffocato gentiles conversi etiam in NT. prohibentur; quemadmodum etiam Lud. de Dieu Impostorem respexisse illuc vult, in notis ad h. l. Unde alii (uti *Ambros. Tom.5. in Gal. 2*) τὸ πνικτὸν à Sophistis Græcorum infartum existimant, prout nec *Irenæus l. 3. c. 12.* nec *Cyprianus l. 3. ad Quirin. c. ult.* legisse videntur. Alii ad tropos confugiunt, & illud quidem τὸ πνικτὸν de *rapina* exponunt; Vid. *Thom. I. secundæ quæst. 103. art. 4.* τὸ αἷμα de *homicidio*, uti *Chrysostomus Hom. 33. in act. Tertullianus, Cyprianus, Theophylactus &c.* quam expositionem & intactam relinquit *Augustinus T. 6. l. 32. contra Faustum c. 13.* πορνείαν verò de spirituali scortatione, id est *idololatria*. Sed non opus est recedere ab integritate textûs, aut verborum proprietate, sine urgente causa. Alii verò *esum sanguinis*, non juris ceremonialis, sed naturalis volunt, atque inter septem præcepta Noachi *Gen. IX* referunt, quæ omnes omninò homines obligent. Vid. Schickardum in משפט המלך *c. 5. th. 17. pag. 128.* item *Excellentissimi Dn. Joh. Frischmuthii, Lingg. Sacrarum in inclyta hac Salana Prof. celeberrimi, dissertationes duas de septem Noachi præceptis.* Unde in Ecclesia primitiva est observata hæc lex de sanguinis abstinentia omnimoda, adeò, ut eandem veluti clypeum contra Thyesteas epulas, quæ Christianis ab Ethnicis objiciebantur, Patres confidenter opponerent. Vid. *Tertullianus Apolog. I. Euseb. l. 5. hist. Eccles. c. 1. Minut. Felix in Octavio. Canon: Apost. 63. Novella 58. Leonis, Origenes contra Cels. L. 8. Synod. VI. in Trullo can. 67. &c.* Quamvis verò tempore Augustini labascere cœperit hæc consuetudo, ut ex loco ejusdem Beati Patris jam citati patet, & post Concilium Carthaginense & Wormatiense, annorante *Baronio Tom. 1. annot. ad A. C. 51. § 24. pag. 496.* desueverit: in Orientali tamen seu Græca etiamnum observatur. Quin in Occidentali Ecclesia etiamnum non solùm Weigelia-

nos, ſed & nonnullos alios, idem locus dubios reddidit. Verùm eximit ſcrupulum D. Paulus, *Rom. XIV. per totum*, 1. *Cor. IIX. per tot. X.* 25. *I. Tim. IV.* 4. *Tit. I.* 15. Unde concludendum eſt: Synodalia hæc præcepta, *Act. XV*, (excepto eo, quod de fornicatione eſt, vid. *I. Corint. VI.* 9. *I. Theſſ. IV.* 3. *Eb. XIII.* 4. ut & altero illo: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; quo & pro Symbolo uſus eſt *Alexand. Severus Imperator*. Vid. Ælius Lampridius in ejus vita p. m. 311.) non perpetua eſſe, ſed ſaltim temporaria, pro ſtatu illorum temporum, ne Judæi, Leviticæ munditiæ diu jam innutriti, gentilium libertate in convictu offenderentur; adeoque non reſpexiſſe Apoſtolos ad legem vel Moſi, vel Noacho datam, ſed ad legem Charitatis & ad evitationem ſcandali. *I. Cor. IIX.* 13. *Matth. XIIX*, 7. Atque de *cibis* hæcce.

§. 3. Cæterùm in *Potibus*, voluit hic egregius, ſuos perpetuos eſſe Nazaræos. *Vino* enim (quod tamen in paradiſo largiter pollicetur) eis interdixit. *Surat. III. XIII.* At præceptum hoc ſervant, ut canes (quod veriverbio dici ſolet) jejunium. Vid. quæ diximus ſupra *part.* 1. *c.* 2. §. 20. Conf. Elm. l. 1. c. 8. Similiter & *fructibus palmarum* & *uvis* Verùm de *uvis* meretur videri Busbeq. Epiſt. 4. Cauſas verò quare vinum prohibuerit, referunt varias. Alii dicunt, Angelos هاروت & ماروت occaſionem huic rei dediſſe. Vid. ſuprà art. 2. §. 2. Alii cauſam aſſignant Politicam, ne ſcil. arcana ſic Reipublicæ exteris per ebrietatem divulgentur. Alii Eccleſiaſticam, ut ita ſuos ab uſurpatione S. Cœnæ arceret. Vid. & aliam apud *Busbeq. Epiſt. III. lege T*urc. &c. Quicquid ſit: vinum modicè ſumptum, Deum non offendit. Vid *I. Tim V.* 23. *Pſal. CIV.* 15. *Matth. XXVI.* 29. De *Severianis* & *Encratitis*, ejus hac in parte complicibus, vid. *Epiphan. hæres.* 45. 46. *Oſiand. cent.* 2. *l.* 3. *c.* 14. 15. Atque hæc de lege Ceremoniali.

§. 4. Nunc *secundò* ad *Moralem*, quam nec minus miserè, quantum in se est, disperdit: Nam (I) interiorem illam obedientiam, quam lex divina requirit juxtà cum Pharisæis veteribus (vid. Sur. *XVII.* &c.) & Judæis hodiernis, aliisque omnibus, qui per opera justificari volunt, ignorat, aut à Deo pensi haberi negat, dummodo homines ab exteriori se contineant maleficiorum exercitio. contra *Exod. XXIII.* 4. 5. *Lev. XIX.* 18. 17. *Deut. VI.* 5. *XXVII.* 26. *Pr. XXV.* 21. *Rom. VII.* 21. *&c.* (II.) Præcepta ipsa, etiam quoad exteriorem observantiam, profane truncat. Et *primum* quidem *præceptum*, dum ementito cultu & ἐντάλμασιν hominum, Deo servire suos docet, contra *Matth. XV.* 9. (uti ex superius dictis ex parte jam patet) præter id, quòd à vera invocatione Filium & Spiritum sanctum sacrilegè excludat. Imprimis autem *imaginibus*, unà cum Magistris suis *Judæis* (vid. saltem *Joseph. l.* 15. *Antiq. c.* 11. *lib.* 7. *c.* 8. *l.* 18. *c.* 4. 7.) nimis offensus est, adeò ut nullo etiam in loco eas depingi sectatores ejus sinant. Vid. *Thomas à Jesu de convers. gent. l.* 10 *p.* 706. *Cantacuz. Apol.* 3. *pag.* 61. *seq. Septem-Cast. c. X. Busbeq. Epist. I. Bellarm. l.* 2. *de Imag. c.* 6. Imò ne nummos quidem suos imaginibus insigniunt, sed saltem literis, *teste Luthero in libro* **vom Krieg wieder den Türcken.** Unde nos Christiani æquè sumus omnes illis invisi, quasi imaginum & simulacrorum cultores, propter quosdam è Christianis, qui easdem colunt: pariter ac quod propter eandem rem nos Mariam pro una Trinitatis persona habere existimant. Vid. *Sur.* 13. *& Epist. Isphac.* Id quod tempore Muhammedis præter alios, & Collyridianos fecisse, testatur *Epiphanius l.* 3. *t.* 2. *hær.* 75. 77. Nec id etiamnum, proh dolor! deficit. Quæ res infideles non parum à vera fide suscipienda absterret. Extra tamen scandali causam, placet nobis illud Gregorii Magni, Episcopi circa tempora Muhammedis, Romani, *l.* 9.

Epist.

Epist. 1. *Si quis imaginem FACERE voluerit, minimè prohibe: ADORARE verò imagines, omnibus modis devita.* Idque ex fundamentis *Exod. XXV*, 18. *I. Reg. VI.* 23. *seqq. Act. XXIIX.* 1. *&c.*

§. 5. Circa *secundum* præceptum notabilis est eorum error, quem dubio procul ab iisdem suis Magistris, Judæis puta, Muhammedes imbibit, cæterique sequuntur; scilicet quòd per res alias, quàm per Deum (contra *Deut. VI.* 13. *X.* 20. *Es. XLV.* 23. *XLIIX.* 1. *LXV.* 16. *Jer. IV.* 2. 2. *XII.* 16. *Matth. V.* 34. *seqq. XXIII.* 16. *&c.*) jurent. Ex quibus duobus dictis postremis satis notum est, jam tum Christi tempore illum impium morem invaluisse in Judaismo; jurandi scilicet *per cœlum, per terram, per Jerusalem, per caput.* Et sicut de Ethnicis Juvenalis —— *Nondum Græcis jurare paratis* —— *Per caput:* ita de his suis popularibus Philo Judæus περὶ τῶν ἀναφερομένων ἐν εἴνομων testatur, quòd per πατρὸς ἢ μητρὸς ζώντων ὑγίειαν καὶ εὐγηρίαν jurarint, τετελευτηκότων δὲ τὴν μνήμην, *parentum quidem vivorum SALUTEM & prosperam SENECTAM, defunctorum verò MEMORIAM.* quem morē non deseruisse cæteros, vel Martialis sufficit testis, dum *l.* 9. *Epigramm.* 95. *canit:*

Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis:
Non credo, jura Verpe per Anchialum.

Cujus distichi vocem ultimam eruditi variè exponunt. Alii enim per *Anchialum* vel *puerum* intelligunt, vel *urbem*, vel *ludum*, cujus meminit *Balsamon* ad Concilii VI. can. 51. Ubi tamen *Scaliger de emend. tempor. in proleg.* ut & *Voss. hist. Pelag. l.* 5. *parte* 2. Ἀχιλλέα legunt. Alii, idque non sine causa hanc ex Hebræo sermone vocem corruptam existimant: sed id modo non uno, eodemque. *Samuel n. Petitus Var. Lect.* putat, descendisse eo אם חי עליון *Thomas Fornab.* ex אם חי אלהי *Selden. præf. Success. in bona defunct. ad II. Hebr.* ex יפרע חי עולם *vindicet, qui in æternum vivit*, qui habet ἔκδικον ὄμμα,

uti ait Homerus, ut & Paulus *Rom. XII.* 19. Nobis non displicet ſententia Hackſpanii, qui Anchialũ putat eſſe אני חי נורים ex *Num. XIV.* 21. *Conſ. Deut. XXII.* 40. *Dan. XII.* 7. Inde enim Dei Epitheton חי עולמים. Alias jurabant נחיי המרן *per Regis vitam*, ב גא דמרכא *per coronam Regis*; apud Caſſium *l.* 44. τὴν ὑγίειαν καὶ τὴν τυχὴν Cæſaris, qui mos ὅρκος βασιλικὸς dictus eſt, *Sueton. l.* 12. Jurabant & Judæi per *Decalogum* & *libros ſacros*, R. David Kimchi ad *Eſ. IIX.* 20. Sed ad Muhammedem noſtrum. Magiſtros itaque ſuos imitatus, jurat quoque hic Veterator per res varias, utpote *per Angelos, per Alcoranum*, والسموات البروج *per Cœlum ſigniferum.* (id eſt, Zodiacum, aliquando juxta Muhammed Ben Achmed in Alcorano deſcriptum: Sicuti & Vettius Valens Antiochenus lectorem Floridorum ſuorum adjurat: ὁρκίζω σε ταύτῃ τῇ συντάξει οὐρανοῦ ἀστήρκτον κύτος καὶ δυοδεκάζωδον) *per domum excelſiſſimam per nubes per aurorам, per naves æquore currentes:* & quid non? Imò, & *per ipſos Dæmones.* Vid. *Sur.* 62. 62. 63 66. &c paſſim alias. Sic & Achmed Turc. Imp. Anno 1604. fœdus cum Henrico M. Gallorum Rege icturus: per *VERITATEM*, jurat, *Magni Dei* &c. mox *per animas AVORUM ſuorum & PROAVORUM.* Sultan Suleiman verò, Ben Selim, cum Ferdinando I. Jmp. Rom. *per VERA SIGNA magni & venerandi Prophetæ MUHAMMED.* Quin *Surat. LXIIX.* والقلم وما يسطرون (.) ما انت بنعمة ربك بمجنون (.) *Per calamum, & id, quo ſcribunt vel lineas ducunt*, ſcilicet juro, *quòd tu, per gratiam Domini Tui, non ſis Dæmoniacus.* Ubi impoſtor & Deum (uti & gentiles ſuum Jovem, per ſtygiam paludem &c.) per tales res leviculas jurantem introducit; ceu & alibi paſſim. Aliud verò D. Paulus *Heb. VI.* 13. ἐπεὶ καὶ οὐδενὸς εἶχε μείζονος ὀμόσαι, ὤμοσε καθ' ἑαυτοῦ.

Sed

Sed quid mirum de Muhammede? habuit domi, unde id disceret, scilicet Judæos. Nam non solùm ipsi per creaturas jurant, uti jam dictum est, sed & Deum ipsum ita pariter jurantem faciunt. Vid. בראשית רבה *sect.* 48. *Jalkut ad Mos.* *pag.* 23. *col.* 3. עיר גבורים *pag.* 48. *num.* 57. Similiter & reliqua præcepta corrumpit hic depravator, uti v. g. *sextum* per Sodomiam, polygamiam, divortium &c. *septimum* per rapinam, & sic consequenter. Verùm ea latiùs deducere non patitur instituti ratio, nec foliorum angustia. Conf. & ea, quæ supra part. 2. c. 1. controv. 3. § 2. allata.

§. 6. *Tertio*, dum ab iisdem Pharisaicam illam persuasionem acceptam retinet, legem moralem in hac vita posse ab hominibus perfectè impleri: unde & homines ante Christum (nam de aliis alia res est, juxta eum, ut mox dicetur) legis Mosaicæ observatione vitam æternam potuisse mereri; imò & meritos esse; quos Moses in extremo judicio veluti atriensis aliquis suæ villicationi subjectos, ad rationem patrifamilias reddendam magno numero adducturus sit. Vid. *Colloq. cum Abdia Judæo.* Contra *Exod. XXXIV.* *I. Reg. IIX.* 4 *Eccles. VII.* 21. *Joh. VII.* 19. *Act. VII.* 38. *XV.* 10. 11. *Rom. VII.* 14. *IIX.* 3. *Gal. III.* 21. *&c.*

§. 7. *Quarto*, dum eandem legem moralem, non solam atque unicam bonorum operum mensuram esse concedit, sed eidem multos ἐθελοθρησκείας panniculos assuit, uti è dictis aliquatenus constat. Hinc XL. præcepta instituit iis necessaria, qui hortum paradisi ingredi volunt. Vid. *Hott. hist. Or. p.* 248. Contra *Deut. IV.* 12. *XII.* 32. *Psal. XIX.* 9. *&c.* Et de *Judæis* idem velle probare; quid aliud est, quàm in meridie ac Sole splendente lumen accendere? Vid. saltem *Buxtorffius in Synag. Jud. passim.* Atque ita circa locum de lege aberrant: quæ ideò deducenda paulò fusius censui quia in hoc articulo omnē sui justificandi vim consistere putant.

ARTI-

ARTICULUS IIX.

DE EVANGELIO.

§. I.

EVangelium (1.) prout id ſignificat *doctrinam de gratuita peccatorum remisſione per fidem in Chriſtum* θεάνθρωπον, *Mundi Salvatorem*, *Matth. XI*, 5. penitus hi infideles negant; cùm & Chriſtum Deum eſſe inficientur, nec verè paſſum dicant, uti oſtenſum ſuprà eſt. Sampſates Isphacanes Perſa in cit. Epiſt. *Si Chriſtus Deus erat, & Dei filius, cur non hominem nudo verbo ſalvavit*, ἀλλ᾽ ὥσπερ ἀδυνατῶν ἐγένετο ἄνθρωπος καὶ ἀπέθανεν, ἵνα σώσῃ τὸν ἄνθρωπον &c. Quales floſculos & in Socinianorum ſcriptis reperies. e.g. Quòd *nulla necesſitaas aut ratio fuerit, ut filius Dei morte ſua ſatisfaceret, cùm ſola jusſione hominem liberare potuerit à Diabolo &c.* Convenit itaque utraque ſecta in eo, ſcilicet Chriſtum veniſſe, ut hominibus doctrinâ ſaltem & exemplo præluceret ad vitam æternam. Contra *Matth. I.* 21. *XIIX.* 11. *XX.* 28. *Joh. III*, 16. *I. Tim. II.* 5. *Heb. II.* 14.

§. 2. Prout verò Evangelium (2.) accipitur pro Chriſti in N. T. miniſterio, illud non ignorant, ſed corruptâ ex Græca voce إنجيل *Ingil*, id eſt *Evangelium* vocant, occurritque multoties tàm in Alkorano, quàm alibi. Verùm hoc, nonniſi pro quadam lege habent, Chriſtumque unà cum *Socinianis* & aliis pro novo quodã legislatore, contra *Mat. V.* 17. *Joh. I.* 16. *Gal. III.* 23. *IV.* 4. *&c.* Placet hac de re audire Septẽ Caſtrenſem, qui *cap. XIII.* ita ait. *Communis opinio ferè omnium Turcarum talis eſt de lege eorum. Dicunt enim, primum Prophetam magnum, cui data fuit lex primitus, à Deo fuiſſe miſſum, id eſt, Moſen, cui datus eſt liber Téfrit, quem nos Pentateuchon vocamus, & omnem hominem, qui EO TEMPORE ipſam legem obſervaſſet, ſalvatum*

salvatum esse. Cùm autem per successum temporis humana malitia & negligentia hanc legem corrupisset, in hujus prævaricationis remedium electus est secundus Propheta Daüt, quem nos David dicimus; cui datus est liber Czabar, quem nos Psalterium vocamus. Quo prioris modo servato & corrupto, tertius Propheta magnus subjunctus est JESSE, id est, JESUS, cui tertia LEX cum libro Ingil, quem nos Evangelium dicimus, missa est, quæ SUIS TEMPORIBUS omnibus causa salutis fuit. Ea tandem præcedentium modo evacuata, quartus electus est Muhammedus, qui legem cum libro, qui Alcoranus dictus est, à Deo accepit. quæ (evacuatis omnibus ante habitis) sola necessitatem salutis, donec alia supervenerit, plene & indubitanter ab eis prædicatur & dicitur habere. Ex quibus patet, eos Christum non nisi pro legislatore habere, & legem suam hominibus observatu ad salutem necessariam dedisse; cùm aliam viam, quàm per opera legalia, salvandi ignorent. Confer. *Surat. V.* & *XII.*

ARTICULUS III.
DE POENITENTIA.

§. 1.

UT autem de salubribus suis institutis, legibus & præceptis, imò & exteriori disciplina (in qua servanda nos Christianos nonnunquam multis parasangis antecedunt, confer suprà *part.* 1. *cap.* 2. §. 18. adeoque nos vulgò خنزير *sues* per contemptum vocant.) & sanctitate immensum quàm glorientur! vident tamen, neminem mortalium esse, qui non peccet, unde vulgari (uti & David ait *Psalm. XIV.* 1. *LIII.* 3.) *παροιμία*, cujus elegantiam ob Rhythmum Latinè nequimus exprimere, hoc frequenter in ore habent: ابن الانسان ابن النقصان *Filius minis, Filius erroris delicti, exorbitationis.* Summa itaque

que

que illis cura, ex hoc naufragio enatandi. Sed quò minus id ſalubriter fiat, impedit illorum partim *cæcitas*, partim *Phariſaicus* faſtus. (1.) Enim abſolutam quandam in Deo miſericordiam ſibi miſeri imaginantur, qua Deus ſine ulla ſufficiente accepta ſatisfactione, ſine intuitu & merito Chriſti (quod negant & rident) hominibus peccata condonet, contra *Pſalm. VII.* 1. *IX.* 5. *Gen. II.* 17. *Prov. XIIX.* 15. *Eb. IX.* 22. *Act. IV.* 12. *Paulum ad Rom. & Gal. III. & IV. capp. Rom. V.* 10. *I. Joh. I.* 29. *II Cor. V.* 18. 19. *&c.* Quod dogma, uti & cætera quàm plurima, ſatis oſtendunt affinitatem *Socinianorum* & horum infidelium. Hinc *Johanni Paulo Alciato & Adamo Neuſſero*, deſerto Socinianiſmo, digniſſima viſa eſt religio Muhammedana, quam proximè amplecterentur; ob convenientiam ſcilicet dogmatum. (2.) Hujus tamen miſericordiæ ſpē de remiſſione peccatorum nulli faciunt, niſi pœnitentia, quantum in ſe eſt, demeruerit, hoc eſt, de peccatis doluerit, veniam ſuppliciter rogarit, Eleemoſynis, peregrinationibus & aliis electitiis operibus Deum placarit. Et hujus pœnitentiæ, dici non poteſt, quantam vim meritoriam eſſe dicant! unde التايب عن الذنب كمن لا ذنب *penes quem pœnitentia eſt, ejus peccata ſunt tanquam non eſſent peccata.* Quod a. Deus ejusmodi opera pro ſatisfactione acceptare velit, abſolutæ ejus gratiæ acceptum ferendum ajunt, uti diximus.

ARTICULUS X.
DE JUSTIFICATIONE.

Hîc errorem periculoſiſſimũ, & (ut Tertullianus eum vocat) *ſalutis devorativum*, cum veteribus & recentioribus juſtitiariis errant. Juſtificationem enim ſui coram Deo, in bonis operibus & legis obſervatione collocant. Fidem

reperies

reperies quidem in illorum Scriptis nominatam, sed per illam non intelligunt, nisi notitiam aliqualem historicam, scilicet *esse Deum*, *esse librum*, scilicet Alcoranum, & *Muhammedem à Deo missum, fore resurrectionem & vitam æternam &c.* Hincque intuitu mercedis, bonis operibus misellı homines incumbunt; quæ tamen nihil aliud sunt, quàm, (ut *B. Augustinus* in re simili loquitur,) splendentia peccata. Sura:a V. *Qui credunt & bona opera faciunt, mercedem eis Deus tribuet.* Unde sæpè dicitur in Alcorano, apponendas esse in extremo judicio lances, quibus Gabriel Archangelus sit præficiendus, adque eas omnia cujusque bona opera examinaturus. *Cuicunque igitur pondus B. O. præponderaverit, illum vitam victurum optimam*, docet: *cui verò leve contigerit, in ignis fervidi præcipitium ruiturum. Sur. CXI.* & passim. Et hic error, quasi hæreditarius quidam morbus *Judaismo*, ubicunque tandem terrarum versanti, semper adhæsit, adhæretque. Unde & primarii illorum sectarii à bonis operibus sibi nomina imponi voluerunt; *Essæi* quidem ab עשה *fecit*, *Sadducæi* à צרק *justus fuit q.* Justitiarii, *Pharisæi* à פרש *separavit*, quod sc. πεποιθότες ἐφ ἑαυτοῖς ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, καὶ ἐξουθενοῦντες τοὺς λοιποὺς, se ab aliis segregarent. *Luc XIIX. 9. & seqq.* Et dolendum est, multos Christianos etiamnū in ead voragine natare, contra *Mat. V. 20. Luc. XVII. 7. Actor. XV. 10. Rom. III. 20. seqq. IV. 2. seqq. V. 15. 17. 21. X. 3. XI. 6. Gal. II. 26. 21. V. 4. Eph. II. 8. Philip. III. 9. Tit. III. seqq. &c.*

ARTICULUS XI.
DE SACRAMENTIS.

HIc præcipui illorum sunt errores. (1.) quòd *V. T. Sacramenta* retineant. *Circumciduntur* enim mares post annum nonnum, 10. &c. potissimum verò circa annum, XIII. *exemplo Ismaëlis filii Abrahami*, ut ait *Cotovic. Itiner. pag.* 123.

Sed quam ad causam utantur circumcisione, non ita inter omnes convenit. Alii enim volunt, hoc fieri in remedium culpæ & peccati: sed negat hoc Septem-Castr. c. XXI. *eo quod de Originali peccato penitus apud eos IGNORETUR quid sit, sed solum pro quadam superstitione*, scilicet habeatur. Sic & de filiis incircumcisis, quando moriuntur, non solicitudine de salute illorum ulla tanguntur. *Ibid.* confer *Christoph. Ricerius de moribus Turc. in descript. Arab. pag.* 92. Putant ergo Septem-Castr. & alii, propterea præscindi præputium, ne sub illa pellicula in lotionibus aliquid hæreat, adeoque sic lotio reddatur invalida; quem in finem etiam præscindunt ungues, & abradunt capillos. quam anxietatem, vide & in *Judæis* apud Buxtorf. in Synag. Jud. pag. 93. *Alii* Muhammedanos circumcisionem ex more saltem recepto, apud plurimos in Oriente populos observare volunt: unde nec Prophetam ipsum circumcisum fuisse, nec in Alcorano ea de re quid præceptum, dicit *autor de Hæresi Heraclii &c. pag.* 13. & Saracenos jam olim circumcisos fuisse, testatur satis clarè *Epiphanius hær.* 30. *p.m.* 133. his verbis: *Quid verò jactat Ebion circumcisionem? quando etiam Idololatræ & scelerati Ægyptii circumcissonem habent. Sed & Saraceni, qui & Ismaelitæ, circumcisionem babent, & Samaritæ, & Idumæi, & Homeritæ Plerique verò ex his non propter legem hoc faciunt, sed temeraria quadam consuetudine.* Confer *Joseph. l. I. antiq. c. XII.* Sic Cophtii seu Ægyptii etiam fœmellas circumcidebant, non legis sed honoris causa, ut ait *Seid Ben Ali.* Item *Æthiopes & Colchi.* Vid. *Horod. in Euterpe. Diodor. Siculus l.* 2. *&* 4. *Origenes lib. I. contra Celsum. Ambros. l.* 2. *de Abrah. Clemens Romanus recogn. l.* 8. *Bohemus de moribus gentium &c.*

§. 2. Quæ causæ, vel conjungi omnes possunt; vel etiam præterea vero non est absonum, quòd hoc solenni

ritu-

ritu velint parentes filios suos inaugurare ad publicam *Is-lamismi* id est, legis Muhammedanæ, observationem. quem-admodum & in hodiernis *Judæis* simile quid observavit *B. Helvicus in Elench. Jud.* 5. *q.* 2. §. 12. Nam & *tempus* convenit, scilicet annus XIII. (præter propter) & *causa*, quod peccatum originale utrique negantes ante id ætatis homines proprie non peccare dicant, & *tum infantes, quid agant, intelligant, & simul fidei professionem* (scil. لا اله الا الله : *non est Deus, nisi Deus ille, scil. verus, & Muhammed Apostolus ejus*) *cum rationis usu testentur*, ut ait Sionit. de morib Orient. pag. 78. Sic & fæminæ eadem verba confitentes, *Musleman* efficiuntur, uti testatur *Barthol. Georgevitz l.* 2. *de moribus Turcarum*: Non verò patiendo circumcisionem, uti vult *Gabriel Sionita c.* 15. *descript. Arab.* Fit autem circumcisio magna cum solennitate & lætitiâ, vid. Georg. loc. cit. & cùm Muhammedes Amurathis III. filius anno superioris seculi 82. d. 28. Maji circumcideretur, inauditam seculo nostro factam fuisse pompæ magnificentiam, in plurimorum exterorum legatorum præsentia, meminit *Bucholzerus ad ann. cit.* Quicquid sit (Nam ignorant ipsi, ut Septem-Castr. l.c. ait, *cum de hoc & quibuscunque aliis, interrogati fuerint* scilicet Muhammedani, *ne ignorantia eorum notari possit, involvunt sententias, & quodam obscuro modo loquentes, velamen obducunt excusationis &c.*) novimus, circumcisionem in N. T. abrogatam esse, adeò ut Paulus scribat: *si circumcidamini, Christus vobis non proderit. Gal. V.* 2. confer. *c. IV.* 31. *VI.* 15. *&c.* Quod & contra *Æthiopes Christianos* observandum, qui etiamnum circumciduntur: testibus *Chytræo de Eccl. Orient. Phil. Nicol. l.* 1. *de regno Christi. c.* 1. uti & *Jacobitæ*, & quidem in utroque sexu. Vid. *Thom. à Jesu l.* 7. *pag.* 1. *cap.* 14. De Paschate illorum jam egimus *suprà art.* 7. *de Lege.* §. 1. Nam ari-

arietes illos tempore Paschatis mactatos, resurrecturos in extremo judicio, & intercessuros pro iis, à quibus immolati sunt, & dum Archangelus Gabriel in examinandis ad libram operibus hominum bonis & malis occupatus est, superpondii vicem subituri sunt. Vid. *Joh. And. Confus. Muhammed. pag.* 77. (2.) *Sacramenta N. T.* v. Baptismum & Sacram Cœnam divina illa ὀχήματα fidei & remissionis peccatorum (*Matth. XXVI.* 28. *Marc. XVI.* 18. *Joh. III.* 5. *Eph. V.* 27. *Tit. III.* 5. *I. Sect. III.* 20. 21. *&c.* cum *Manichæis*, fonte illo Muhammedismi, uti Danæus illos vocat, cumque *Messalianis*, aliisque veteribus & recentioribus hæreticis, rejiciunt. (3.) dum alia media à Deo non instituta, pro peccatorum expiatione usurpant, v. gr. varias lotiones, peregrinationes, jejunia, de quibus suprà.

ARTICULUS XII.
DE ECCLESIA.

§. I.

HIc quàm plurimas itidem fovent abominationes. 1. enim varios habent *Monachorum* ordines, qui castitatis vota voverant. Horum *alii* nudi incedunt, summæque in sanctitatis opinione sunt, eò quod humanâ veluti naturâ exuti, adversus quamlibet frigoris & caloris vim ἀπαθεῖς sint; adeò, ut in rei periculum nonnunquam corpus flammis & ferro offerant, si vera sunt, quæ de illis feruntur. *Alii* cibi & potûs abstinentiâ venerabiles sunt. *Alii* silentio; quod ne rumpant, loca frequentata hominibus fugiunt. *Alii* voluntaria paupertate & rerum mundanarum contemtu: *Alii* alio sponte suscepto vitæ genere superstitioso, cultum Dei simulant. Unde hi maximè inter se differunt; (1.) *Vestitu*, dum alii hoc, alii illo genere vestium utuntur.

(2.) *habi-*

(2) *habitatione*, urbes alii, alii cœnobia, alia ſepulchra ſanctorũ, *alii* eremum malunt. (3.) *Officiis*. *Alii*, v. gr. religionis cauſa peregrinantes hoſpitio excipiunt: *Alii* aquam fontanam obviantibus ultro offerunt. &c. Vid. Septem-Caſtr. ca. 14. Enuſtin. cap. 36. *Mich. Baudiez l. 3. hiſtor. Turc. Gallicè. Hoſpin. l. 1. de Monach. cap. ult. &c.* Non tales ordines habet Paulus *I. Cor. XII.* 28. *Eph. IV.* 11. *Tit. III.* 5. Confer. *Num. XV.* 39, 40.] *Deut. XII.* 32. *Matt. XV.* 9. *Col. II.* 23. *Rom. XII.* 23 *Eph. II.* 8. *Heb. X.* 25. *Gal. VI.* 10. *Secundò*, preces ſuas aliaque ſacra linguâ Arabica deblaterant, quorum Turcæ minimam quidem partem (Turcica enim lingua cum Arabica, præter ductus literarũ, nihil fere habet commune) intelligunt, contra *I. Cor. XIV.* 2. 6. 7. *ſeqq. Tertio*, dum ritus vanos, ridiculos, ſuperſtitioſos, è medio gentiliſmo & Judaiſmo petitos, in Eccleſiis ſuis ut meritorios adhibent, contra monitum Apoſtoli: *In Eccleſiis* ſcil. πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθαι, *I. Cor. XIV.* 40. Et huc pertinet *Ludus* ille *Czamach*, in quo mirandâ quâdam & haud facilè imitabili volocitate corpus ſuum ad modos in feſtivitate quadam ſua, *Machia*, ita circumgyrant, ut tandem vertigine correpti proni decidant. Vid. *Sept. Caſtr. cap.* 14. Huc pertinet & ſuperſtitioſa *illa lapidum projectio in ſacra peregrinatione Maccham*. Jubentur enim ſub iis membris, queîs viri ſumus lapillos retrorſum jacere. Quod quidam in honorem *Mercurii*, quidam in *Veneris* fieri volunt. Vid. *Seldenus de Diis Syr. c. 4. pag. 285. Hott. hiſt. Or. p. 135. ſeq. Buxtorf. Lex. Talmud. in voce* מרקולים, *Auctor de hæreſ. Heraclii, pag.* 14. *Hornb. in ſumma contr. &c.* Hæc Sacra ſervavit ex gentiliſmo Muhammedes, addito commento, Satanam eo ipſo fugari. Unde & is propterea الرجيم *Satan maledictus*; propriè *lapidibus percuſſus*. רגם enim utrumque ſignificat. Quam enim

enim rem veteres ſummè execrari volebant, ei lapides impingebant. Unde in atrociſſimis ſceleribus lapidatio tio adhibebatur. Quænam autem illa ſint, enumerat *Schind. in Lex. ad hanc Rad. pag. mihi* 1694. In medio quoque templo Mechano eſt lapis, Veneris effigiem habens, *Brachthan* dictus, & is olim ab Ethnicis cultus. hunc itidem jubentur Muhammedani oſculari, quòd olim cœlitus è Paradiſo delapſus, totam urbem fulgore ſuo colluſtrarit, nunc ob hominum peccata amiſſo, quòdque Abrahamus cum Hagare ſuper eo ſit congresſus, camelumque ad eundem alligarit filium ſacrificaturus. Vid. *Seldenus, aliique ſuprà citati.*

ARTICULUS XIII.
DE MAGISTRATU POLITICO.

§. I.

PRæcipui illorum hìc errores ſunt (1.) quòd Imperatores ſe conſtituunt ſummum caput in Eccleſia, adeò, ut qui in odio illorum diem obeant, non habeant, quod de ſalute ſua ſperent. Hinc non ſolùm Muhammedes & reliqui Chalifæ ipſimet plurima munera Eccleſiaſtica adminiſtrarunt, ſed etiamnum Ottomannidæ ſe *Principes Mundi* appellant, ob curam ſcilicet, quam gerunt in rebus divinis. Hinc clamant ad eum: ארונו אור הישמאלים וזוהר תירתנו הראנו זיו פניך *Domine noſter, Lux Iſmaelitarum, & lumen legis noſtræ, oſtende nobis fulgorem vultus tui* &c. Qui tandem poſt multam pompam, conſcenſo ſuggeſto ligneo, legem iis enarrat, victimas & benedictionem impertit &c. Vid. *It in Benjamin.* 63. *& ſeqq.* Ubi pluribus hujus Capitis Eccleſiæ pompam & faſtum deſcribit. (2.) Quod homines ad fidem ſuam cogendos docet. Vid. *ſuprà part.* 1. *c.* 2. Hinc, ut refert Richardus c. 10. refut. leg. Muham. *Quando ad doctrinam conveniunt, ut Saracenorum magiſter doceat; is qui debet proponere*

nere verbum, *primum* NUDANS ENSEM, *nudum in manu detinet*, *in quantum* (id est, quamdiu) *docet*, *vel ponit ad terrorem in quodam eminenti loco.* Hinc frequenter instigat in Alcorano ad bella pro religione gerenda, singulis fere Suratis; & qui hoc modo in prelio ceciderint, eos rectà in cœlum evolare credunt. *Gothof.* in ἀρχοντολογία *Cosmica. Busbeq Epist.* 3. *legat. Turc. &c.* (3.) Usuras omnes sine discrimine è Republica lege sustulit. Hinc Sur. الذين يأكلون. الربوا يقومون. آلا كما يقوم الذي يتخبطه الشيطان. *Qui lucrantur fœnus*, *non resurgunt*, *nisi sicut resurgit*, *quem corripuit Satanas. &c.* Vid. *Salmas. tom.* I. *de usur. pag.* 91. 95. 673.

Articulus XIV.
DE CONJUGIO.

§. I.

NOtus est illorum error (1.) quòd veterem illum multorum populorum Orientalium morem, plures sc. ducendi simul uxores, lege firmârit. v. g. Sur. XII. dicit Pseudo-Propheta: *Ducite vobis*, *quotquot placuerit*, *uxores*, e. gr. *tres*, *duas*, *quatuor*: *si autem veremini*, *vos non ita justam omnium curam habere posse*, *ducite saltem unicam*, *aut quam acquisivit dextra vestra*, id est, bello captam, captivam. ita enim h. l. reddendum existimo; secus ac Latinus. Observant hanc legem, si quam, Muhammedani! Legislator enim ipse uxores XIIX. habuit; Walid Imp. LXIII. Elmacin. p. 63. Sultan Amurat, præter pellices, LXXII. *Hornbeck. S. C. pag.* 162. Imò, à Bajazethe majore usque ad Suleiman nullus Imperator justam habuit uxorem, sed concubinas, *Busbeq. itin. Const.* 46. quæ tamen alias, à legitimis uxoribus nihil ferè

differunt, quàm dote, & imperio. Vid. *Excell. Dn. Joh. And. Bosius, Histor. in hac Jenensi P. P. Celeb in Discur. Academico de Imperio Turcico, thes.* 19. De *Judæis*, ait Josephus, *l* 17 *antiq. cap.* 2. *πάτριον ἐν ταυτῷ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν.* Contra *Gen. II.* 24. *Malac. II.* 14. 15. *Matth. XIX.* 19. *&c.* (2.) Quod ita ductas pro lubitu, *κατὰ πᾶσαν αἰτίαν* (sicut & olim *Pharisæi* docebant *Matt. XIX.*) dimitti posse asserat. Surat. 3. 9. 75. &c. contra *loca jam cit*, quibus adde *Rom. VII.* 7.

ATICULUS XV.
DE PRECIBUS ET INVOCATIONE.

§. 1.

DE tempore illorum orandi, Septem-Castr. cap. XIII. hunc in modum scribit: *Quinque vicibus in die, quinque ad hanc deputatis horis & temporibus,* oratio *perficitur. Tempus PRIMÆ orationis est ortus Solis, non computando horam, sed accipiendo tempus grosso modo: eò, quòd ipsi nullam artem habent computandi, sed solùm instinctu naturali de tempore judicant.* (Conf. Busbeq. in Itin. Constantinop. p.m. 34.) *Ista ergo Oratio prima per quatuor Erket & duo Czalamat perficitur. Erket est geminata inclinatio, cum totidem prostrationibus: Czalamat autem est ipsa secreta oratio, quam facit sedendo post quodlibet Erket, cum salutatione à dextris & sinistris, & impressione pacis, quam utraque manu in faciem obducendo facit. Tempus SECUNDÆ Orationis est circa meridiem, quæ decem Erket & quatuor Czalamat continet. TERTIA Oratio in declinatione Solis tempore vespertino fit, & ipsa Octo Erket & quatuor Czalamat habet, &c. QUARTA oratio quinque Erket & tria Czalamat continens, tempus circa occasum Solis sibi vendicat. QUINTA & ultima reliquarum prolixior, quindecim Erket & octo Czalamat habet, & post cœnam tardiori hora celebratur. Prima oratio eorũ lingua DAGNAGNIAS*

dici-

dicitur, secunda ORLENANIAS, *tertia* KINDINANIAS, *quarta* ACHSAMNANIAS, *quinta* JACZINANIAS, conf. *Georgevitz. l. 2. Sionit. de mor. Or. cap.* 15. à *Judæis* & hoc est. hi enim Abrahamum trium temporum orandi faciunt autorem. Muhammedes verò magis pius esse voluit; *vicibusque antiquis apposuit duas*. Confer *Lud. de Dieu ad Actor. III.* 1. Non improbamus statum orandi tempus, quippe quo & sanctos olim usos novimus. Vid. *Psal. LV.* 18. *CIX.* 147 *seqq. Dan. VI.* 10. *Actor. VI.* 1. *X.* 9. *&c.* Sed *necessitatem* servandarum horarum harum canonicarum improbamus; qua vel in mare dejectus potius temporis Canonici, quàm vitæ rationem habere, vel mulier in partu, tantisper caput infantis alio reclinare tenetur, donec demensum hoc precum absolvat. *Meritum insuper* improbamus: quo Deo preces numero admetiuntur, ut deblateratis ita iisdem ad sua rosaria, h. m. ingredi promereantur hortum paradisi, &c.

ARTICULUS XVI.
DE MORTE.

§. I.

DE novissimis, uti vocant, vasta se aperit mendaciorum regio. Nobis in ea non arbores singulas, sed sylvas tantùm ostendere animus est. Itaque de morte (I.) eorum error est, quòd peculiarem huic præficiant Angelum, quem illi ملك الموت vocant, id est, *Angelum mortis*; crebraque ejus fit mentio, ut *Surat. XXVI. XLII. &c.* Hicque ridiculè fingitur Moysi per pomum è Paradiso allatum, animam extraxisse. Vid. *Doctr. Mach. pag.* 94. Hoc verò unde mutuati sint, obscurum non est. *Judæi* enim similia fabulantur. Nomen itaque ipsum ductum esse videtur ex *Prov. XVI,* 14. quem Aben Ezra, R. Salomon & R. Levi de Angelo mortis accipiunt, exponuntque: *ira Regis est, instar* (per ellipsin כ similitudinis, uti & alibi *I. Sam XV.* 23. *Prov. XI.* 22.)

Angelorum mortis. להסיר האדם מדרך חיים אל דרך המות. Uberius verò Angelum mortis describit בית ישראל pag. 256. h. m. אמרו עליו על מלאך המות שכלו מלא עינים ובשעת פטירתו של אדם עומד מעל מראשותיו וחרבו שלופה בידו וטפה של מרה תלוי בה כיון שראה אותה החולה מזדעזע ופותח את פיו וזורק טיפה של מרה לתוך פיו ממנה מת ממנה מסריח ממנה פניו מוריקות id est, *Dixerunt de Angelo mortis: quod totus sit oculus, & cum quis in agone est constitutus, stet ad cervicale ægroti, stricto gladio, unde gutta fellis dependet. Simul ac vero ægrotus videt ipsum, trepidat aperitque os suum, in quod guttam illam instillat. à qua gutta alter moritur, fit fœtidus, & pallescit.* Confer מסכת עבודה זרה *c.* 1. Sicque explicant illud *Exod. XI.* 7. לא יחרץ כלב לשנו *Non movit canis linguam suam.* Nam, ut est in l. חסידים *num.* 1245. *seq.* כשהכלבים רואין מלאך המות הן בוכין *canes cum vident Angelum mortis, flent.* Qui canum ante funera ululatus, nec quibusdam *superstitiosis* aniculis probatur esse de nihilo. Arabibus vocatur Adriel: Hebræis Hebræis verò סַמָּאֵל Vid. *Buxt. Lex. Tal. Rad.* סמא. *More Nevoch. l.* 2. *c.* 30. *&c.* In Paraphrasi Chaldaica דומה à *silendo, Psal. LXXIX.* 49. *& CXL.* Et in *lib. Tobiæ cap. III.* 8. 20. אשמדי *ἀσμοδαῖος* à *perdendo.* Plura de hoc commento vide, si placet, ap. *Lud. Viv. lib. sæpius citato de Ver. Fid. Chr. pag.* 476. *& seqq.*

§. 2. Ab hoc Angelo mortis non solùm animas extrahi è corporibus in hoc seculo fabulantur, sed & illas ipsas in extremo judicio ab eodem interimendas nugantur, adeò, ut præter Deum nullum detur vivens. in lib. cit. Doct. Machom. contra *Eccles. XII.* 7 *I Cor. XV.* 25. 32. *seqq. I. Pet. IV.* 19. *Apocal. XXI.* 4. *&c.* Hoc verò allevisse nugatori videtur *Arabiana* hæresis, de qua *Esebius lib. VI. hist. Eccles. c.* 36. hunc in modum: τὴν ἀνθρωπείαν ψυχὴν τέως μὲν κατὰ τὸν

ἐνε-

ἐνεστῶτα χρόνον ἅμα τῇ τελευτῇ συναποθνήσκειν τοῖς σώμασι, καὶ συνδιαφθείρεσθαι. Αὖθις δέ ποτε κατὰ τὸν τῆς ἀναστάσεως καιρὸν αὐτοῖς ἀναβιώσεσθαι. à quibus non longe abeunt hac in parte *Sociniani. Vid. Socin. in Epist. pag.* 489. *ad Joh. Volkel. Smalc. exam. cent. error. pag.* 33. *l.* 1. *de error. Arian. c.* 14. *pag.* 147.

§ 3. Valdè quoque sibi metuunt à *supplicio quodam, seu, cruciatu sepulcrali.* Postquam enim homo demortuus est, dicunt; animam tantisper in corpus (sic & *Judæi* intra annum post hominis è vivis excessum animam non deserere corpus, sed subinde ad illud reverti, potentiaque aliorum Spirituum posse adigi, ut idipsum rursus induat, fabulosi nugantur. Vid. *Menasse de resurrect. l.* 2. *c.* 6. & *Buxtorf. Syn. Jud. pag.* 436. *)* revocari, ut coram duobus Angelis nigris, *Mungir* scilicet & *Quarequir*, fidei & observati per vitam Islamismi rationem reddat. Quam ob causam etiam sepulcra sua concava faciunt, ut se in pedes erigere, & stare coram his examinatoribus possint, reverentiamque illis exhibere, uti refert *Busb. Epist. Leg. Turc. p.* 83. Nugantur v., quòd si hominem nimiùm, dum in vivis esset, aut ignorasse aut violasse legem Muhammedis deprehenderint, eorum tum alter, qui clavâ armatus, miserum peccatorem uno ictu ita percussurus sit, ut is sub terram, septem cubitos detrudatur; alter verò Angelorum, qui uncinum aut harpagonem gestat, suo hoc instrumento, ita percussum magis magisque approximaturus sit ad inferos. Ita somniant hi infideles. unde didicerint, nec est dubium. Nam idem malum metuunt & *Judæi*, quod illi חבוט הקבר *percussionem sepulcralem* vocant: hoc peculiari precationis formula, quæ est inter ברכות Benschen / amoliri nimium quàm solliciti sunt! Vid. *Buxtorf. in Lex. Tal. in R.* חבט *& in Synag. Jud. pag.* 437. Addunt verò: quòd si examinandus hic inquisitoribus istis probetur, alii ipsi dentur Angeli duo custodes, sed albi, tu-

telaria veluti numina & Genii loci defuncto affuturi, ad extremum usque judicium; à capite unus, alter à pedib9. Scriptura refellit ejusmodi vanitates. *Eccles. XI. 3. XII. 6. 7. 14. Luc. XVI. 22. 23. XXIII. 43. Heb. IX. 27. Apocal. XIV. 13. &c.*

§. 4. Aliud adhuc superest illis *supplicium*, sed *infernale*; in *purgatorio* scilicet luendum. Ad quem Alcorani secum hac in parte consensum provocant etiam frequenter Pontificii, uti *Bellarminus l. 1. de purgat. c. 11. Salmeron tom. 14. pag. 225. Belonius lib. 3. observ. c. 30.* &c. imprimis verò ad Sur. 46. ubi Araben qui ita habet: اليوم نختم على أفواههم وتكلمنا أيديهم وتشهد أرجلهم بما كانوا يكسبون ولو نشاء لطمسنا على أعينهم فاستبقوا الصراط فأنى يبصرون Latinus hunc medium transtulit: *hodie* (loquetur sic, juxta Muhammedem, Deus ad impios in extremo judicio) *vobis ora vestra sigillabo, manusque nostræ vobiscum sequentur, & pedes erunt testes operum vestrorum. si vellemus oculos vestros clauderemus, ne PURGATORIUM IGNEM transeundum videretis.* Verùm dictio صراط *Pontem* quidem *in inferno*, per quem hominibus transeundum sit, denotat juxta *Giggæum* in Lexico: à صرط *cribravit*, quod in eo homines qui cito ab igne infernali liberantur, cribrentur veluti & secernantur ab iis, qui ulteriùs ibi adhuc scelerum suorum pœnas persolvent: attamen, an hoc loco ita reddenda sit, valde dubito. Significat enim صراط aliàs idque multo frequentiùs, *viam, semitam, callem*, ut verb. grat. in فاتحة الكتاب in apertione Libri, (quæ & أم الكتاب *mater libri*, item سورة الحمد *laudis* الكنز *thesauri* الصلاة *precationum* dicuntur; quia cottidie illam Suratam loco precis recitant, estque primum Alorani caput) dicitur: اهدنا الصراط مستقيم *deduc nos viam rectam.* Unde sensus hujus loci hic esse potest:

Nos

Nos illorum (impiorum) *ora obturabimus* , (ut non possint respondere ad unum ex mille, ut Jobus ait, *cap. IX.* 3.) *manus enim illorum propriæ loquentur contra illos, & pedes illorum testimonium exhibebunt illorum machinationibus. Nam & nos si voluissemus, jam dudum oculos illorum cæcitate* (justo judicio) *percussissemus, ut rectâ viâ relictâ, nescivissent, quorsum pedem movissent. &c.* Verùm quia ex Septem-Castr.c.XXI. allisquè satis notum est, Muhammedanos purgatoriū admittere, nollumus hâc responsione uti. Non tamen dicimus, *ex naturali lumine, omnibus hominibus communi,* haussisse hanc opinionem de purgatorio Muhammedanos, ut vult Cardinalis loc. cit. sed à Judæis, ut pleraque cætera sua omnia deliria. Hi enim homines in *bonos*, *malos* , *&* בינונים seu *intermedios* distinguunt, ut notum est: & his quidem postremis scorias peccatorum in purgatorio amburendas esse fabulantur, Vid. *B. Helvicus Elench. Judaicorum V. thes.* 35. *seqq. Hornb. de convincendis Judæis.* Contrà Scriptura nescit ejusmodi *Benonjim*, sed genus humanum ἀποτόμως dividit in duo genera, *credentes* scilic. & *incredulos. Prov. XI.* 7. *Ez. XIIX.* 24. *XXXIII*, 13. *Dan. XII.* 12. *Marc. XVI.* 15.16. *Joh. III.* 18. *V.* 24. *seqq. Rom. IIX.*14.*&c.*

§. 5. Super hoc arenoso dolosoque fundamento, pro liberandis ex hac præsentissima (ut sibi imaginantur) tortura suorum animabus, varias extruxerunt satisfactiones. Hinc frequentissimæ fiunt pro defunctis orationes, uti *Elmacin in Hist. Sarac.* singulis ferè paginis testatur. Quas ordinariè quidem pro quolibet quinque fundunt; pro Adamo autem, utpote generis humani parente, nonaginta quinque à Setho dictas garriunt. Stipem insuper & Eleemosynas elargiuntur, non solùm pauperibus, sed etiam bestiis. Hinc manumittunt è caveis aviculas; solito quodam tempore pascunt in aqua pisces, in aëre volucres,

&c. Vid.

&c. Vid. *Johann. Ulrichum* Wallich/*in de Relig. Turc. Tr. Germ. p.55. seqq.* Et quis potest omnes illorum superstitiones enumerare? Imprimis autem sibi ipsis cavent, ut, antequam è vita, prius ære exeant (si quod habent) alieno; ne scilicet in purgatorio solvant animâ, quod hic quierũt pecuniâ. unde summopere allaborant, ut Chirographam à creditoribus suis (saltem vel furto) recipiant, quam possunt (si Diis placet!) in soluti nominis testimonium apud inferos exhibere. Fabulæ! Diversum enim ex superiùs allatis Scripturæ dictis liquidò patet.

§. 6. Nec verò solùm preces faciunt pro defunctis, sed etiam ad eosdem. Nam est quidam Divorum apud Turcas principalis, *Sedi Chasi* nomine, qui —— *casu succurrit in omni*: hunc frequenter invocant, maximè in bello & in præliis. Alius est *Hatschipettesch* dictus, qui peregrinantibus auxiliari creditur; alius *Aschikpassa*, qui amoribus, rebusque matrimonia concernentibus. Alius *Vanpassa* vel *Alivanpassa*, qui discordantibus patrocinium præbet; *Scheychpassa* verò, conturbatis solatium. *Goy* v. vel *Mirtschin*, itemque *Bartschumpassa*, —— *Curant & oves, oviumque Magistros*: *Chidirelles* a. itinera *&c.* Vid. *Septem-Castr. cap. XV. Enust. cap.* 39. Hinc & ad illorum sepulcra peregrinationes instituunt, ibique preces efficaciores, quàm alibi, censent. Vid. *Breidenb. in peregrinatione sua, cap.* 3. *Lönicerus in Chron. Turc. l.2. cap.* 14. *Zvinger. in Theatr. pag.* 31. 41. 577. *Ludov. Rom. in navigat. l.1. cap.* 17. *Tevet. Cosmograph. l.6. c.5. &c.* aliosque. Contra *Deut. VI.* 13. *Job. XIV.* 21. *Psal. L.* 15. *Eccles. IX.* 9. *Es. XLII.* 8. *XLIIX.* 11. *LXIII.* 16. *Matth. IV.* 10. *Joh. IV.* 21. 23. *I. Tim. II.* 5. 8. *&c.*

ARTI-

ARTICULUS XVII.
DE RESURRECTIONE MORTUORUM ET EXTREMO JUDICIO.

§. I.

Hic rursus nugivendulum agit Muhammedes **maximum!** Et *primo* quidem quoad ordinem & modum hujus processus: cujus summa ex *Theologia Muhammed.* **hæc est.** *In extremo die mandabit Deus Angelo mortis, ut omne animatum interficiat,* sc. *homines, aves, pisces, &c. Quo facto jubebitur & Angelus mortis semetipsum interficere: alis itaque suis involutus exequetur id tanto quidem boatu, ut vel eo ipso mugitu viventia extinguerentur, si jam superessent. Stabit tum mundus vacuus per* 40. *annos. Tum prodibit Deus, strageque hâc creaturarum veluti exultans, dicet: ubi nunc principes, & reges & potentes seculi? Mox excitato Seraphieli tradet tubam* 500. *annorum itinera longam, addito mandato, ut descendat Hierosolymam, validissimeque clangat. Ad hunc sonitum in omnem terram ad sua quæque corpora animæ evolabunt, congregabuntur que sic ossa.* Iterum Archangelo post 40. *annos sonante induent ossa carnem & nervos; uti rursus post alios* 40. *annos, subibunt completa sua corpora ipsæ animæ. Tum ignis accensus ab occidente, omnem creaturam Hierosolymam coget. Quo facto, ignis ipse quidem cessabit: homines verò per* 40. *annos in sudore suo natabunt. Miseriarum denique pertæsi, Adamum primum, deinde Noachum, mox Abrahamum, post Mosen, denique Jesum Mariæ Filium accedent, ut pro se apud Deum intercedant: miseriarum faciat finem, & quid de iis decernat, tandem exprimat. Repulsi ab his, indignitate vel sua vel ipsorum, ad Muhammedem ultimò (unicam jam spem superstitem) confugient. Hic tandem, suffragante Gabriele, fidissimo*

suo in aula Dei Patrono, à Deo obtinebit, ut ponte super infernum facto, apponantur staterae, ad quas bona & mala opera eorum ponderentur. Hic aderunt non solùm advocati, Moses, Christus, &c. quilibet pro suis: verùm etiam arietes tempore Paschatos mactati, aves felesque olim pastæ, &c. in bonorum operum lancem ascendent, ne altera, in qua mala opera sunt, huic in qua bona sunt, præponderet. Imo, charta olim è terra in honorem Dei & Muhammedis sublata, pedibus illorum per ferream, eandemque igne candentem cratem ituris, derepente substernetur. Vid. *suprà part. 2. c. 3. controv. 3. §. 1. & part. 3. art. 10.* Damnatis dabitur charta seu tabula damnatoria in sinistram, faciesque tota denigrabitur: Bonis absolutoria in dextram. Confer Sur. 79. &c. Et ita hic homines fabulis dementat! Aliter *Matth. XXV. 34. seqq. Joh. V. 28. 29. I. Cor. XV. 51. seqq. S. Thess. IV. 15. 17. Phil. III. 21. &c.*

§. 2. Inter hasce tamen fabularum nebulas, non obscure se produnt splendentia Judæorum cæterorumque mendacia. Nam (1.) quod de gemina resurrectione, uniusque ab altera distantia nugatur, originem habere videtur ex *Chiliastica* opinione (quæ natales suos Talmud debet, vid. *Sanhed. Cocc. pag.* 246. 391. & autorem *clavis Apoc. p.* 273. mansitque veluti genethlianum signum aliquod semper aliqua ex parte in domo illorum, qui Judaica Sacra postliminio reducta voluerunt. Vid. *Euseb. l. 3. histor. Eccl. cap. 38. l. 7. c. 24. 25. August. ad Quodvult. hær. 8. l. 20. de Civit. Dei cap. 7. Niceph. l. 3. cap. 14.* Etiam in *Anabaptistis* & *Rosencreuzianis* hoc & superiori seculo. Vid. *Melanchthon in disp. de furor. & deliriis Anabapt. tom. Witteb. Latin. Chytræus in cap. 20. Apoc. Sleidanus l. 10. comment. de reform. &c.*) de terreno regno Messiæ, vid. *Clariss. Pokock. miscell. pag.* 276.

Expres-

Expreſſe autem meminit ſecundæ reſurrectionis *Aben Ezra ad Dan.* 12, 2. Quod autem animas interficiendas priùs dicit videtur affrictum ei aliqua ex parte eſſe ex *Arabiana* hæreſi. Vid. *ſuprà art.* 16. §. 2. Confer *Auguſt. ad Quodvult. de hæreſ.*

§. 3. Similiter (2) quod credunt Arabes, *Oſſiculum* quoddam ſupereſſe *ad interiorē dorſi partem*, juxta os ſacrum, quod illi (.عجب) vocant (vid. *Golius in Lex. Pocok. miſcell. pag.* 255. *Ecchell. hiſt. Arab. cap.* 19.) quod omnis corruptionis ſit expers, primaque reſurrectionis materia: Eadem de hoc oſſiculo credunt & Judæi, licet ſub alio nomine. illi enim illud ipſum לוז vocant. Vid. *Targ. Jeruſal. cant.* 8, 5. *R. Salomo Jarchi ad Gen.* 47. 29. *Buxtorf. in Lex. Talm. pag.* 1127. *Camerarius Oper. Succiſiv. part. I. c.* 12. *p. m. &c.* Contra *Gen. III.* 19. *Eccleſ. XII.* 7.

§. 4. Reſurrectionem mortuorum (4) in *Syria*, idque *Hieroſolymis*, uti ex citata *Theol. Mach. ſeu Colloq. cum Abdia Judæo* patet, itemque judicium extremum ibidem fore, credunt Muhammedani. *Unde dixit Iba Abbas: Qui dubitat conventum* (ultimi Judicii) *futurum in Syria, is legat hunc verſiculum:* (.)وكان اول حشر الى الشام *Et fuit prima* (Judæorum) *expulſio vel μετοικεσία in Syriam. Dixit enim eis* (Judæis) *Propheta,* ſcilic. Muhammed: *Exite. Rogarunt: Quo? Reſpondit: ad terram conventus ſeu congregationis. Congregabuntur enim creaturæ die reſurrectionis in Syria.* Vid. Hott. hiſt. Or. p. 214. unde hoc deſumtum ſit, Phaëthontis quadrigis non opus eſt. Notum enim *Judæorum* pariter גלגול המתים ſeu גלגול המחלות id eſt, *revolutio mortuorum* ſeu *cavernarum*: in qua mortuos extra terram Canaan per penitisſimos terræ meatus in eandem revolvi debere credunt, ibique tandem reſurrecturos fore. Unde hujus mali (neque enim ſine dolore fit, prout volunt) præcavendi

causa, vivi adhuc eò se conferre cōsueverunt. Vid. *Buxt. Lex. Talm.* p. 438. *seqq. Hornb. de convinc. Jud.* Quin etiam plurimis aliis hodieque idem sentiendi (puta de habendo Judicio extremo circa Jerosolyma) Locus *Joel. III.* 7. imposuit, indeque frequenter ad *vallem Josaphat* appellari solet. Contra *Dan. XII.* 5. *Matth. XXIV.* 31. *Joh. V.* 28. *I. Thess. IV.* 15. *seqq. Apoc. XX.* 13.

§. 5. (4.) De forma & statura incolarum Paradisi, in. cit. *Theol. Mach.* hunc in modum ait: *Perfecti omnes in statura quidem Adæ, in forma verò Jesu Christi, nunquam incrementum aut detrimentum aliquod patientes.* Hic verò ex eorum sententia quid hausisse videtur, qui ex *Eph. IV.* 13. *Phil. III.* 21. omnium resuscitatorum corpora adinstar corporis Christi resurrectura existimant. Verùm Apostolus iis in locis non de *resurrectione hominum è mortuis*: sed in priori quidem de *spirituali* eorundem incremento in fide & charitate; in posteriori v. de *transfiguratione*, non *formæ*, d. *gloriæ* loquitur, ut patet. *D. Augustino* & aliis placet sententia, *quòd unusquisque recepturus sit mensuram corporis, quam vel habuit in juventute; etiamsi senex abiit; vel habiturus fuerat, si ante esset defunctus.* Nobis hæc: *quemque in resurrectione eam staturam formamque recepturum, quam hîc reliquit abiens.* Vid. *Job. XIX.* 25. *seqq. Matth. XXII.* 30. *Apoc. XI.* 18. *XIX.* 5. *XX.* 12.

ARTICULUS XIIX.
DE INFERNO.
§. 1.

QUemadmodum de extremo judicio, nonnisi ad modum actûs alicujus forensis, homo hic mundanus, suos docuit; ita eâdem chorda in executione similiter ejusdē, nonnisi mundanus loquitur. Infernum enim ut —— *tristes sine sole domos, loca turbida* —— (quemadmodum Ethnici sua tar-

tartara) deſcribit, ſeu, ut carcerem aliquem ſqualidiſſimum. Solum enim facit ſulphureum, crebra pice conſitum. Facit ibi puteos profundiſſimos. facit lacus, ut Virgilius, aliique Acheronta:

Turbidus hic cœno, vaſtoque voragine gurges
Æſtuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.

imò & arbores, quarum fructibus veſcantur damnati; quo quidem cibo, acerbiùs excogitari poſſit nihil. vid. Theol. Muhammed: Dividit Plutonis hanc aulam, quemadmodum & Judæi, in ſeptem cellulas, & quæ ſunt hujus generis alia. (2) Ex hoc tandem cruciatu cum *Origenianis* & aliis *Liberatoribus*, de quibus vid. *Aug. ad Quodv. de hæreſibus*, Angelis & hominibus vanam ſpem facit, ut poſt aliquod tempus eripiantur. Vid. & ſupra art. 2. §. 4. Hinc abſurda non minus quàm ridicula fabula narratur *in cit. Theol. Muh.* de liberato quodam ab inferno, qui cùm in aërio fonte ab Angelis juſſu DEI lavatus nigram adhuc in fronte maculam ex pice inferni retinuiſſet, inter cæteros cœlites obambulans tantâ verecundiâ ſuffuſus ſit, ut mallet inferno potius reddi, quàm conjectum oculorum pati, quibus à cæteris indignus adhuc & immaturus huic honori deſtinabatur: juſſo itaque adhuc quinquies lavi, ignominia ſimul cum macula tandem demitur. Nos, æternos ſcimus inferni fore cruciatus, nec ullam inde liberationem. vid. Dan. XII. 2. Marc. IX. 43 Joh. V. 28. 29. Epiſt. Jud. verſ. 7. &c. Quod & contra *Socinianos* obſervandum.

DE VITA ÆTERNA.

§. I.

Hîc ſanè impoſtor optimè potuit ſcenæ inſervire, & ad ingenium ſuorum Arabum ſe accommodare. Summam itaque hominis beatitudinem, ultimum finem ſeu vitam æternam conſtituit in voluptatibus corporis; cibi, potus & Veneris: quibus rebus ſciebat Arabes imprimis, præ cæteris mortalibus, velle libenter eſſe affines. Cujus belluini dogmatis ſaniores inter illos, uti olim Abu Ali Ibn Sin (vulgo qui nunc corruptè, Avicenna dicitur) l. 9. Metaph. c. 7. & h. t. Ahmed Perſam, puduit. Unde & alii quidam recentiorum, legislatorem ſuum excuſatum volunt, quaſi is parabolicè (quemadmodum & Prophetæ & Apoſtoli noſtri nonnunquam) per res mundanas ſpirituales voluerit adumbrare. Verùm non hanc fuiſſe Muhammedis mentem, nec omnium quoque cæterorum ejus aſſeclarum, tum multa alia probant, tum imprimis quòd tàm propriè & clarè locutus ſit, ut ejusmodi parabolica explicatio hic locum habeat nullum. De Scriptura Sacra alia eſt res. E anſe in aliis locis ſatis rotunde explicat: quod hic ſeductor non facit.

§. 2. Hinc audies apud ipſum: يطافوا عليهم بصحاف
من ذهب واكواب وفيها تشتهيه الانفس وتلذ
الاعين وانتم فيها خالدون
circumferentur in eos (beatos in Paradiſo) *PATINÆ ex AURO, & PHIALÆ, in quibus ERIT, quicquid animæ concupiverint: dulces erunt FONTES, vosque perpetuò ibi vivetis.* Sur. 53. & paſſim Paradiſum ipſum deſcribit ut aulam alicujus principis, ubi ad luxum & ſplendorem omnia inſtructisſima ſint. Hinc audies apud illum, ut quondam in Bœoti-

cis

ticis Tempe, aut hortis Adonidis, esse v. g. jucundissimas arbores, quæ hominibus, in otio & lascivia sub iisdem recubantibus, opacam umbram dulcesque fructus præbeant. Hic scaturientes fontes: hinc oberrantes rivos, nunc melle, nunc lacte, nunc vino. Palatium ipsum in septem veluti concamerationes distinguit; in argenteam, auream, gemmeam, smaragdinam, adamantinam, quas excipiunt sexta è carbunculis, & septima è luce divina. Et ex hocce palatio seu Paradiso Adamum olim expulsum volunt, Muhammedemque huc fuisse οὐρανοβάτην, ad legem petendam. Quanquam nec in posteriori hoc omnes conveniant: nam alii legem ipsam cælitùs demissam volunt. Hujus Paradisi portas olim interdiu noctuque patuisse dicunt: nunc autẽ postquam deprehensum est, Diabolos illuc clanculum subrepere, & consilia Dei expiscari, appensas esse foribus seras; quarum claves in thesauro Dei asserventur. Lucidissimam insuper stellã præ portis appositam, quæ continuas agat excubias. Intus verò, fabulantur, viros aureis sericisque & omnis generis pretiosissimis vestibus amictos, ornatosque aureis annulis, gemmis, coronis &c. super auro ostroque decumbere, exquisitissimisque ciborum missibus suffarciri, vinoque (quod tamen hîc interdictum erat) ad utramque usque aurem repleri. Et ne quid voluptati desit, addi apparatui epularum, jus quoque familiaritatis. Virgines enim ab æterno à Deo ad hanc rem conditas ajunt, tantæ majestatis, ut si una noctu in terris appareret, totum aera collustraret; si verò in mare despueret, omnem mari salsedinem interciperet, &c. Hujusmodi suaviludia unde desumta sint, longâ conjecturâ non opus est; ex *Chiliasmo*, sc., quem B. Hieron. in Ezech. l. 11. rectè appellat *fabulam*, *ex Judaicis fabulis consutam*. Nam quid illi

de

de regno & convivio Messiæ garriant, notum est. Vid. Buxt. Syn. Jud. pag. 456. seqq. Cæterum ne quis cum *Foreo in Manuali Luther. pag.* 384. *& seqq.* fortè calumnietur, nos quoque cum Muhammede, hac in parte sentire, meritò opponimus errori illi dicta *Gen. XV.* 1. *Es. LXIV.* 4. *Matth. XXII.* 30. *Luc. XX.* 36. *Rom. XIV.* 17. *I. Cor. II.* 9.

Tibi verò, DEUS Clementissime, PATER, FILI, & SPIRITUS SANCTE, ex intimis cordis nostri penetralibus, quantas & mente concipere & ore proferre possumus, gratias agimus maximas, quòd nos in hisce stupendis tenebris, tam horrendis Satanæ præstigiis nasci non volueris; salvifica sed cognitione JESU imbui, ejusque sanguine à peccatorum sordibus ablui. Quot ibi myriades infantum nascuntur! quot millia hominum sine vera fide moriuntur! Distamus nos ab illis, non naturâ, non meritô nostrô, sed gratiâ Tuâ. Et Arabes erant peculium Tuum olim, gens Tibi dilecta: Da misericors PATER, ne communione culpæ communionem cum iis incurramus pœnæ, vel nos, vel posteri nostri,

propter eundem JESUM CHRISTUM,
Salvatorem nostrum!
AMEN.

لك يا يسوع المسيح الحمد المجد والتسبيح مع
الآب والروح القدس الى ابد الابدين امين *

F I N I S.

